

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Thomas Ihre

Thomae Ihre In Nuce Roma, Hoc est: Syntaxis Latina, nova methodo per Propositiones elaborata, & rationibus solito firmioribus fundata, In Gratiam Curiosae Iuventutis

Rostochi[i]: Richel, 1680

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728906422>

Druck Freier  Zugang



19. a. 9.

Cd-435.
~~C. II d. 3126.~~

THOMÆ IHRE IN NUCE ROMA

Hoc est:



Syntaxis Latina, nova methodo per Propositiones elaborata, & rationibus solito firmioribus fundata,

In gratiam

CURIOSÆ JUVENTUTIS.

Seneca:

Non me cuiquam mancipavi, nullius nomen
fero: multum magnorum Virorum
judicio credo, aliquid & meo vindico;
Nam illi non inventa, sed quarenda
nobis reliquerunt.

ROSTOCHI,
LITERIS RICHELIANIS,
Anno M. DC. LXXX.

APPROBATIO.

Ego verò sic satis catō per-
spicaceq; perlustratâ Syn-
taxi hâc oculo , videor mihi
de eâ omni id latus haud abs-
re sententiæ , uti ajam , publi-
citusque profitear, manuque
hâc signem meâ , & exquisitâ
industriâ , & singulari acumine
concinnatum ab Auctore Cl.
Dn. THOMA IHRE libellum,
usque adeò , ut ne nævulus
quidem irritârit me in tam ve-
nustô corpore.

ROSTOCHI VII. Eid. August.

Anno cl. Ic. LXXX.

H. Dringenberg/Univers.

Rostoch. Prof. Publ. ejusdemque
hodie **RECTOR.**



SUMME - REVERENDO , AMPLISSIMO
CLARISSIMO QUE DOMINO
DNO.
M. HAQVINO
SPEIEL,
Superintendenti Gothlandiæ
gravissimo , Fautori &
Patrono devote
colendo.

Nisi mihi perspecta sa-
tis, & nota fuisset tum
Tua in Eruditos pro-
pensio, tum fiducia
illa, quam in Tuis virtutibus
)2(omnes

DEDICATIO.

omnes securè collocant, haud
sanè ausus fuissem **Tuo** No-
mini hoc meum opusculum,
inscribere, quod neque ma-
teriæ pretiô, neq; styli gravi-
tate **Tuæ** personæ sufficere,
Tuam ve mereri tutelam va-
leat. Tantus enim es, ut glo-
riæ fama **Tuæ** intra Patriæ ter-
minos contineri nescia, inter
exterios etiam nobili prædice-
tur elogio, usque adeo, ut nul-
la Virtuti stipendia fecisse quis
dicatur, nisi ad **SPECULUM**
Tuum (egregium cum re no-
men) vitam suam & mores de-
mùm omnes composuerit.
Incertum est, Pietatem magis
Tuam

DEDICATIO.

Tuam admirer , an profundam,& cum cæteris virtutibus
conjunctam sapientiam ? utrumq; enim docet, quantum
hominis novisse datum sit, adeo
ut omnes , exemplum edocti
Tuum , erubescant ulterius
naturæ infirmitate, seu igno-
rantiam suam, seu ignaviam,
excusare. Unde pro ea, quæ
nunc est, temporum malitiâ,
non defuturos credo, qui ni-
miæ Te virtutis accusant, ut-
pote cum, vel æmulari diffi-
dant, vel molestè ferant Tuō
se exemplô coerceri, quo mi-
nus liceat in vitia prorumpe-
re. Tibiergo, VIR SUMME RE-

)2(VEREN-

DEDICATIO.

VERENDE , hoc quidquid est,
in argumentum officii mei
submisso dico , dedico , et
iam atque etiam rogans , pla-
ceat Tibi serena illud fronte
dignari. Quod si feceris (fa-
cturum autem Te nullus du-
bito) de nihilo me magis sol-
licitum confide , quam ut in-
ter devotissimos Tui nominis
Cultores nec languidum me
nec postremum invenias. De
cætero valeas, Divinæ Tutelæ
devote commendatus.

*Scribebam Rostochi, Die
13. Augusti. 1680.*

REVER. TUÆ

devindissimus

T. Ihre.



PRÆFATIO.

Lectori perbenigno Salutem !

Non vana est ingenii ostentatio,
nec, quæ invitare vel maxime
solet , novæ inventionis glo-
ria, quâ inductus sum , ut no-
vam hanc Syntaxeos metho-
dum ederem , Tibique L. B. offerrem :
Verùm unicus promovendæ juventutis,
impetus ne dicam , an conatus persuasit,
fore, ut breviori , certiori & clariori me-
thodo (*ni φιλαυτία me fallit*) juventuti con-
sulerem , plurimisque Latinæ constructio-
nis tricis & difficultatibus , in quibus o-
ptimam pueritiæ partem , oleum , & ope-
ram pæne omnem ludit, liberarem.

Cum enim ad Lydium , uti dicunt, la-
pidem, vulgaris examinetur Syntaxis, bone
DEUS ! quanta se offert , REGULARUM
quas vocant, GENERALIUM copia ! quan-
ta congeries ! Hic Auctor est 160. Ille 115.
Iste 116. plures plurimum ; quibus tot notæ,

PRÆFATIO.

tot exceptiones, tot observationes, tot de-
niique exempla (ne quid deesset, quò infir-
majuventutis memoria torqueri posset) sunt
subjectæ, ut Labyrinthis exitū, quam aliquam
lem Syntaxeos notitiam prius citiusq; spe-
rare: Id quod tamen, meo judicio, facile
potuerit declinari; si ejusdem farinæ re-
gulas v. g. *Activa verba regunt Accusativum:*
Gerundia casu verborum suorum gaudent: Su-
pinum verborum suorum casum postular: Par-
ticipia imitantur verborum suorum constru-
ctionem &c. unico huic axiomati include-
rent: v. g. *Omne predicatum transitivum adsciscit terminum: vel, Omnis propositio transitiva constat Subiecto, Predicato, & Termi-*
no, uti videre est part. I. pag. 4.

Altera, quam seri progressus causam
reperio, est inordinata Regularum CON-
NEXIO, & pñè dixerim, CONFUSIO.
Ordiuntur tantum non omnes Gramma-
tici Syntaxin suam ab hac regula; *Adje-*
tivum & Substantivum Genere, Numero &
Casu convenient. Nonnulli ab hac: *Sub-*
stantivum cum substantivo diversæ rei, geni-
tivo casu jungitur. Quibus deinde totam
Regularum seriem subnectant; v. g. *Geni-*
tivi cum nomine: Dativi cum nomine: Ac-
cusati-

PRÆFATIO.

Cusativi cum nomine : Ablativi cum nomine :
non alia sane ratione, quam quia in declinando alter casus alterum sequatur : Ad hoc , si accurate loquamur , in propatulo est nullum ab adjectivo regi casum , sed genitivum ab inclusa in adjectivo substantivi subsistentia , uti videre est cap. 3. p. 28.
& seq. Accusativum & Ablativum à suppressa præpositione part. 2. cap. 3. pag. 66. Et cap. 3. pag. 77. Dativum demum à nullo nec adjectivo nec verbo regi , utriusque tamen adjungi , cum respectus importatur ut cap. 1. pag. 16. fuisus demonstravi ; Huic ergo Syntaxeos confusiori , (ut de illa loquar) meo judicio præsentius inveniri remedium vix potest , quam si totum contextum per Propositiones distinxeris , juxta illud : *qui bene distinguit , bene docet* : & in unaquaque propositione ad partes principales *Subiectum , nempe & Prædicatum* attenderis , quibus cæteræ voces , tanquam affectiones , vel per *concordiam* , vel per *discordiam* conjunguntur , uti patet part. 1. cap. 1. pag. 3.

In ostendenda Syntaxeos vulgaris tum falsitate tum obscuritate , non est , quod tantopere laborem , cum satis credo ex

)s(

jam

PRÆFATIO.

jam dictis constet, & Eruditis plane omnibus nauseam moveat. FALSITATEM enim satis superque indicant hæ regulæ v. g. Nominativus jam præcedit, jam sequitur, jam & præcedit & sequitur verbum finitum simili numero & personâ. Nonne & Accusativus casus in constructione verbum finitum simili numero & persona præcedit? v. g. Deum amo. Mitto, quod regula hæc omni destituatur nota characteristicâ (non enim explicatur, an nominativus subjectum esse debeat vel terminus) absque qua ad genuinam latinæ linguæ notitiam haud facile perveneris. Similiter hæc v. g. Activa verba, & quæcunque actionem significant, regunt Accusativum: An & Verba Intransitiva, quia actionem significant, Accusativum regant? non credo. Et tamen hæc duæ Regulæ bases & fulcra sunt, quibus tota Syntaxeos moles incumbit, ut adeò non mirum, quod nutantibus illis, tota Syntaxeos fabrica ruinam minitetur. Præstaret ne ergo, si nobiscum part. I. cap. I. pag. v. dixeris. Subjectum finite propositionis est Nominativi casus: Prædicatum transitivum gaudet termino. quid clarius? brevius? quid concinnius?

O B-

PRÆFATIO.

OBSCURITATEM longa serie re-
stantur regulæ de *Gerundiis*, *Supinis* &c.
quæ Præceptoribus ipsis in explicando, ne-
dum Discipulis in capiendo maximam pa-
rere solet difficultatem : Quod ut in me-
thodo mea evitaretur, malui per *certas m-*
tiones, aut, ubi hæ deficiebant, per *claras*
notas charaæteristicæ, adolescentulis eadem
inculcari, quam obscuritate & verborum
involucris fucum fieri.

ELLIPSEOS tandem mentionem
facit nullam vulgaris Syntaxis, cum tamen,
uti vere dixit *Cl. Siwers*. Ellipsis clavis sit
Syntaxeos, cuius ignari veram Latinæ con-
structionis naturam ac rationem non in-
telligunt : Et quomodo quæso has constru-
ctiones v.g. *latus unguem*. *fracitus membra*.
edoctus iter. *refert patris*. *tua interest*. *Vi-*
vorum memini. *accusò te negligentia*. *Doceo*
te artes. & id genus alias, vel accurate ex-
plicares, vel feliciter comprehenderes, ni-
si Ellipseos beneficio usus fueris (neque e-
nimir Accusativus à nomine, neque Geniti-
vus à verbo regitur, uti satis securè statuit
vulgaris Syntaxis : Hic autem à suppresso
substantivo, v.g. *Vivorum statum memini*.
Accusò te negligentia causâ. Ille verò à sup-
pressa

PRÆFATIO.

pressa præpositione, v.g. *fractus quoad membra. edictus quoad iter.*) Fateor quidem non omnia in mea methodo explicata esse, quæ ellipsoes naturam sapiunt (neque enim id permisit vel methodi brevitas vel propositi ratio) sed ea duntaxat allegata, quæ è re maximè videbantur, avidiores ellipsoes remissurus ad egregium *Scioppii* tractatum de ellipsi.

Tantum discriminis cum meam inter & vulgarem methodum observarint Viri extra omnem controversiam eruditi, cœperunt meā methodo primo delectari; mox mei me monere officii, ne juventuti mea operā deesset, patererve eandem perpetuò damnari silentio; Confirmarunt præterea, ut omnibus candidis, & qui in nullius verba magistri jurarunt, meus se labor omnino commendaret. Ego verò, quamvis haud obscuris indiciis scirem, duram mihi fore hanc provinciam, non solum, quia invisum esset novitatis studium, sed etiam quia Veteres irritarem Grammaticos, qui multas mihi turbas cierent, emendationem quippe meam ægre laturi: Vicit tamen & veritatis studium, & amicorum vota, & spes denique promovendæ juventutis,

ut

PRÆFATIO.

ut hoc, quicquid est, concinnarem, publici-
que juris facerem, monstrante viam, quod
hic gratus agnosco, CL. DN. Nicolao Neogar-
do, Praeceptore quondam suarissimo, Cognato
charissimo. Quantula cunque autem mea
fuit opera, vel inde videre est, quod pa-
nè nihil inveneris, quin suis firmetur aut
rationibus, aut certis notis characteristicis,
ut absque omni φιλαντίᾳ nota dicere au-
sim, planè cœco cœciorem eum esse, qui
hanc edoctus viam, vel unquam audeat ti-
tubare. Nolim autem mihi vitio vertatur,
quod antiqua casuum Nomina (quæ, si qua-
re, sola latem canitie commendari pos-
sunt) haud absque ratione immutārim, &
*Nominativum Subiectivum; Genitivum Pos-
sessivum; Dativum Respectivum; Accusativum*
*Terminativum; Ablativum Absolutum nun-
cuparim*, id quod non inde solum est, quod
prisca nomina vel plane nullam, vel mini-
mam sui rationem afferant; verum etiam
quod hæc mutua nominum responsio: v.g.
*Subiectum est subiectivi casus: terminus ter-
minativi &c.* Tyronibus ad faciliorem con-
structionis notitiam perducere queat. Nec
velim mireris me justō longius hæsisse in
Propositionum conversione; Cujus rei ansam
mihi

PRÆFATIO.

mihi dedit secura satis , nescio an supina Grammaticorum fiducia, quæ per tot secula obtinuit, hæc v. g. *Obediendum est parentibus. Utendum est ætate &c.* esse Gerundia nominativi casus ; eum contrarium satis credo ex propositionum conversione demonstratum sit part. i. cap. 5.

Tuum de cætero erit, Perbenigne Lector, de meo scripto benignius judicare , nullumq; vel invidiæ vel præjudiciis locum relinquere ; Si Tibi visus fuero, omne punctum non tulisse, velim ignoscas : Humanum enim est errare , Christianum autem, ignoscere ; Ad hoc scito nihil uno impetu & inchoatum & perfectum esse posse, sed præterita futuris plerumq; corrigi , emendari, expoliri. Tantum enim abest, ut mihi adeò blandiar, ac si in hoc scripto desiderari posset nihil, ut ipse me potius ultro velim candidis rationibus corrigi, informari, in primis eum de veritate & juventutis utilitate consulitur, ubi & vincere & vinci pulchrum estimatur. Te autem, Mome hortor, & si merearis, precor, ut more tuo, i.e. convitiis & calumniis abstineas, nominique meo ac famæ parcas. Quid enim est, quod Tuas experiri vires velis in iis rebus, quæ Reipubli-
ca

PRÆFATIO.

ex literariæ, seu conducunt, seu conducere
piò affectu conantur? Habet bene multa
scripta, quæ nec gloriæ DEI, nec Republicæ
prosunt; in iis Tuam exerce industriam, Vi-
rūmque Te præsta; sic vitia taxando glo-
riam merebere, & fautores invenies quam-
plurimos: Quod si verò exorari nequeas,
firmiter tibi suade, impetu Tuo, me non
modo non commotum iri, verum etiam in-
juriam Tuam supercilioso me ulturum
victurumque silentio. Vale.

Sic tandem iplias doctorum dilutis um-
bras,
Quæs immersa fuit ratioque modusque
docendi:
Quod methodum jungis facilem, verbis-
que leporem;
Proderit is teneris, prodestque docentibus
iplis.
Det Deus, ut multis passim Patriæque
Scholisque
Prosis: sic voveo, maneat te gloria facti.
Hæc panes in honorem præcellenter docti DN^IC
AUTHORIS, Convictoris suavissimi
scribere voluit

M. Johannes Justus Mohr,
Corbachio Waldeccus.

ROMA

ROMA à raya. RAMO, MORA, AMOR.

Quæ tenui pendet RAMO , Tua RO-
MA , libellus
Ingeniis teneris non MORA , sed sit A-
MOR !

*Hæc pauca Fratri charissimo acci-
nere volui*

Johan. Ihre.

Quod curæ cordique Tibi sit nobile
verum ,
Id satis hoc scriptum , Dulcis Amice , pro-
bat .

Laudo conatus : non falsa , sed assere Vera ,
Orbis delitium sic eris , atque DEI .

*Ita Clariſſimo Auctori THOMÆ IHRE , Amico
atque Convictori ſuo ſuaviſſimo
vovebat*

J. Lyderik.
Lib. Curi.



SYNTAXIS est pars Gram-
matices, quæ rectam con-
struendarum dictionum me-
thodum docet, ad sensum a-
nimi exprimendum.

Dividitur apud varios variè; ad nostrum
scopum quod attinet, in Regularem
& Ellipticam.

SYNTAXIS REGULARIS est,
quæ per omnia Syntacticis a-
xiomatis & regulis congrua est
de qua parte priori.

SYNTAXIS ELLIPTICA est, in
qua vocis seu particulæ cuius-
dam absentia vel suppressio
impedit, quo minus constru-
ctio appareat regularis : de qua
parte Syntaxeos posteriori.

A

Cate-

DE SYNTAXI Pars I.

2 Cæterum, cum primarius Syntaxeos finis in eo consistat, ut mentem nostram, tum absque linguae vitiis exprimere, tum aliis etiam recte & congrue explicare valeamus, quod tamen aliter, ac per PROPOSITIONES fieri nequit ; Neque enim potest sensus absque propositione indicari, nec propositio absque aliquali sensu efferri : Ideò haud abs re facturos nos speramus, si (salvò interea aliorum iudicio) Syntacticam nostram methodum dilucidiūs per Propositiones expoluerimus.

PARS PRIOR. CAPUT PRIMUM.

De PROPOSITIONE in genere & in specie.

De SIMPLICI & FINITA.

§. 1.

PROPOSITIONEM h̄ic non Logice accipimus, quatenus rationi inservit ad investigandam veritatem, seu, quatenus per eam in veritatis notitiam inducitur ratio; sed Grammatice, quatenus omni ex parte fundamento & regulis Syntaxeos convenient, apta & congrua ad efferendam animi sensu-

sententiam: Quæ vel *Simplex* est, quando partes illius essentiales sunt simplices, id est, unicâ dictione exprimuntur; vel *Composita*, quando alia aliquâ propositio seu *subjectiva* seu *terminativa*, in partium simplicium vices substituitur; vel *Finita*, quando prædicatum est finitum, id est, sive indicativi, sive imperativi, sive conjunctivi modi; vel denique *infinitiva*; quando prædicatum est infinitivi modi.

§. 2. Constat autem talis propositio ex constructione *subjecti* & *prædicati*, expressi vel suppressi, ut completum sensum ingerant: Una de hoc oritur axioma;

Omnis propositio constat
Subjecto & Prædicato,

Includitur talis propositio duobus plerumque commatis, & si quæ sunt aliæ dictiones, intra duo isthæc continata, (sunt autem multæ, verbi gratia; *Substantiva* alia, *Adjectiva*, *Adverbia*, *Conjunctiones*, *Præpositiones* cum suis casibus, *interjectiones*, item, aliæ minus-principales propositiones) pertinent ad designandam, aut *subjecti* aut *prædicati*, aut termini qualitatem, aut unius ad alterum relationem.

§. 3. SUBJECTUM est id, quod in activa propositione agit, in passiva patitur; & in simplicibus propositionibus semper est NOMEN SUBSTANTIVUM: *Adiectiva enim tam Nominalia, Pronominalia, quam Participialia, quando absolute ponuntur, sunt subjecti sub intellecti note.*

§. 4. PRÆDICATUM est ipsa actio vel passio, quæ fit; & est in omnibus propositionibus VERBUM.

Ex his duabus vocibus, *Subiecto* scilicet & *Prædicato*, necesse est, unaquæque constet propositio, sive *activa* sit (quæ vel *transitiva* est vel *intransitiva*) sive *passiva*.

§. 5. Cum autem in propositionibus *activis transitivis* actio non est in *subjecto* immanens, sed *transitiva* in aliud, quod istam actionem terminat, recipitque: Hinc est, quod ad omnem propositionem activam transitivam tertium sc. *terminus* requiriatur: Ampliandum ergo axioma §. 2. ad ductum hoc modo:

Omnis Propositio activa transitiva.

sitiva constat subjectō, prædicatō & terminō.

Nota 1. Propositionem activam (*eamque seu transitivam, seu intransitivam*) & passivam à prædicatio seu verbo nomen sortiri, si prædicatum sc. sit activum vel passivum; ut, Petrus amat: *Hæc propositio est activa transitiva, quia prædicatum. v. g. amat est transitivum.*

Not. 2. Ad activas propositiones referri, quæ Grammaticis vocantur Deponentis generis, quia & ipsa actionem seu transitivam seu intransitivam significant; nec impedit, quod more passivorum in OR desinant, cum hoc ad eorundem significationem ne quicquam faciat; Sic Latinis dicitur; Deus loquitur. Peccator confitetur peccata sua.

§. 6. TERMINUS est id, quod actionem terminat, & in quo actio transit.

§. 7. Rem juvat exemplō illustrare; v. g. Petrus venit ē templō; Subiectum est Petrus, quia est id, vel ea persona, quæ agit, & à qua actio proficiscitur: Prædicatum est

A 3 venit,

venit, quia ipsa actio est, quæ fit ; è templo autem sunt adjectitia, & solum denotantia locum, unde Petri adventus fuit, poniturque tò templum in eo casu , quem præpositio E· regit : Quòd autem hic nullus ad sit terminus, inde est, quia prædicati actio est immanens, quæ in se quiescit, nec ultra tendit, ideoque, ut dictum est, omnem terminum respuit. Nec dispar ratio est in propositionibus, quas vocant *Deponentis generis* : v. g. *Ego lapsus sum de rupe* : Hæc propositio, quippe immanens, subjecto, v. g. *Ego* & *prædicato* v. g. *lapsus sum*, duntaxat gaudeat necesse est ; *Dictiones* autem adjectæ v. g. *de rupe*, locum saltem, unde actio oritur, indicant. Adde, quòd & *propositiones passivæ* (utpote quarum subjectum passionem recipit) omni termino deficiant ; v. g. *Homines reguntur à DEO* : Ubi *Subjectum* v. g. *Homines* omnem in se prædicati vim & passionem recipit : Adjectæ autem particulæ, v. g. à *D&O* per rectionem præpositionis absolute ponuntur, quippe quæ causam, à quâ passio oritur, solummodo indigitant. Constat quidem, prædicatis passivis adjici solere terminativum i. e. accusativum casum v. g. *Alexander thoracem* induebatur;

Cate

Cato rogatus sententiam &c. id tamen fieri per ellipsin, infra part. 2. cap. 2. §. 4. de ellipsa fusiūs explicabitur.

§. 8. Atqui in hoc exemplō; v. g. Petrus scribit literas. Subiectum est Petrus; Prædicatum, scribit; quod cum actionem transitivam connotet (necesse enim omnino est, ut sit aliquid, quod Petrus scribat, & in quod Petri actio, v. g. scriptio inferatur) utique terminus v. g. tò literas adsit optet, qui actionem Petri terminat: Hujus generis exempla sunt: v. g. Filii venermini parentes. Peccator confiteetur peccata &c.

§. 9. Notanter dictum §. 2. propositiōnem subiectum suum multoties suppressere, quoties nimirūm, aut in prædicato includitur, aut præcedentis propositionis subiectum in sequenti subintelligitur: v. g. amavi Deum; hic in prædicato includitur subiectum, Ego. Sic in illo Terentii: v. g. Chremes id mutavit, quia me immutatum videt: Ubì subiectum nempe Chremes utrique respondeat prædicato, quippe cuius ambæ sunt actiones, sc. mutavit & videt; sed ne superflua sit oratio, in sequenti saltem subintelligitur.

§. IO. Parilege gaudent, quæ GERUNDIA, SUPINA, PARTICPIA, & exeuntia in BUNDUS, nuncupantur, quibus si eorum actio transiens est, terminus omnino adjungitur; ut, *Inter spoliandum corpus hostis. Studium legendi literas. Eunt nos perditum. Abiit petitum panem. Amans pecuniam. Petrus empturus libros. Vitabundus castra hostis. populabundus agros.*

§. II. Ignoscant piæ umbræ Clarissimorum Virorum, NICODEMI FRISCHLINI, MARIANGELI & GASPARIS SCIOPPII (qui *avayegmualnæ* sub nomine PASCA-SIUS GROSIPPUS rudimenta Grammatica conscripsit, quod, qua ratione fecerit, in *prefatione Apparatus Latini* indicat PEXEN-FELDERUS) si in eorum sententiam non transeam, transferendo sc. Gerundia ad Futurum Participii Passivi, quod fieri non posse sufficiens videtur ratio, quia Gerundia active significant, cum Futura Participii Passivi apud Classicos Auctores non nisi *passe*

passivè usurpari, vel sexcentis probari exemplis potest: adde, quod ex eadem ratione, Gerundia terminum addiscant, quod Passivis nunquam nisi ~~est~~ contingit. Et licet per ellipsis sententiam firmare suam conentur, puta, regi istum Gerundii terminum, non à Gerundio, sed à subintelle~~ctu~~ Infinitivo. v. g. tempus legendi literas, ita explicant; tempus legendi legere literas: Sic, inter spoliandum corpus hostis i.e. inter spoliandum spoliare corpus: Et hoc suppressum infinitum idem valere inquiunt, atque istius verbi verbale, aut aliud nomen synonymum, v. g. tempus legendi legere literas, ita explicant: tempus legendi leclūs, vel, legendæ lectionis literarum; sic inter spoliandum spoliare corpus i. e. inter spoliandum spolium, vel, spoliandam spoliationem corporis. Nihilominus tamen, præterquam quod apud Classicos Auctores hujus explicationis nec nomen nec umbra unquam appareat, parum necesse videtur in re non perspicuā minus, quam fundamento Syntaxeos congruā ellipsis desiderare; ideoque penitus persuadent adductæ rationes, Gerundia à Futuris Participi Passivi differre, in quantum juxta conversionis ordinem Gerundia

A s

con-

converti posse infra cap. 5. §. 8. liquido patet. Vid. Nic. Frischl. *frig. gram. Grosip. rud. gram. de recl. verbi. item parad. ep. 2. Sciope, lib. 1. part. 2. cap. 5. Mariang. auctlar. epist. 4.*

§. 12. Hæcce propterea mihi statui posse videntur: *Gerundia nullo modò esse Futura Participii Passivi*, quod rationibus ad ductis refutatum est; nec cum Auctoribus citatis & magnō illo G. V OSSIO cap. de verb. in annot. ad Gerundium, ausim dicere, eadem non esse verba, quod numeris & personis destituantur, quæ tamen verbi affectio-nes sunt, non de ipsa verbi essentiâ, sicut actio & passio; quarum altera cum Gerundiis & Supinis insit, quis eadem esse verba negaret? Neque tamen pura esse verba statui queunt Gerundia, quia iis, quæ non æquè verbis, competit casuum flexio, sed esse verba activè significantia, & de nominibus ca- suum flexionem participantia, carentia ut mihi videtur, nominativo & vocativo sin- gulari, & toto numero plurali, etiam si in Varrone & Columellâ obscrvârit quædam loca FRISCHLINUS, quibus nominativus casus singularis numeri adstrui posse vide- tur v. g. *ulcera medicamentis curandum &c.*

mo-

moneantur tamen Tyrones, ut his duriusculis & tantum non obsoletis locutionibus abstineant.

§. 13. Quod autem ausit SCIOPPIUS lib. I. part. 2. cap. 5. § 6. affirmare, Latinè dictum esse v. g. *tempus legendi epistola*, *tempus legendi Poetarum*; & subintelligi *tò legere, legitus*, vel *lectionis*, quasi dices. v. g. *tempus est legendi legere, vel legendi lectoris, vel, legende lectionis Poetarum*, apud Clasicos Auctores me nunquam legisse ingenuè fateor, & vellem Auctores allegasset, quibus hasce loquendi formulas refert acceptas, esset fortassis, ut aliquis inibi error lateret.

§. 14. De SUPINIS tenendum, eadem neutiquam esse nominis partis quartæ declinationis, & quorum Prius in accusativo singulare ellipticè possum per Præpositionem AD; Posterior verò in ablativo per Præpositiones DE, E, EX, explicari, quâ opinione delectati sunt prædicti Auctores; Unde etiam has propositiones v. g. *oves eunt; pastum oves redeunt pastu*, ita explanant, *oves eunt ad pastum*; *oves redeunt de, e, vel ex pastu*. Ratio nostra est, quia supinum prius & posteriorius diversæ sunt significationis, alterum enim activè, alterumque passivè significat, quod
ds

de nomine unius declinationis dici vix potest; Ad hoc, actionem & passionem ceteras seu exercitiō includunt, quam non, nisi in abstractō, nomina verbalia subinнуunt; Porrō, ut bene observavit CL. SIWERS, est Supinum, quasi fons & radix, unde Verbalia & Participia originem trahunt. Supino demum priori, pariter ac Gerundio, adjungi solet terminus, quem omnia nomina rejiciunt. Nec est, quod ad hoc excipiatur, verbalia etiam casum verbi sui regere, ut videat est ex his: v. g. *Quid tibi me tactio est?* iustitia est obtemperatio legibus; Horum enim verbalium à supinis disparem esse rationem, quis est, qui nesciat? Mitto, quod hæloquendi formulæ v. g. *Quid tibi me tactio est?* & id genus aliæ Classicorum etiam Auctorum testimoniō vitiosæ sint (quod proinde pueris sciendum est, non imitandum;) id tamen de supinorum constructio- nelatinæ gnarus linguae, statuet nemo. Quapropter haud incongruum videtur, si dixerimus, *Supina esse verba actionem & passionem significantia, & lupinum quidem prius, eandem cum infinito activo significationem habere,* hanc tamen differentiam, ut semper motum ad locum indicet verbum, cui supinum

num adjungitur; v.g. *abiit petitum panem*; quod hellenisticè dicitur; *abiit petere panem*: *Supinum autem posierius idem, atque infinitum passivum valere, nisi quodd supinum posterius nulli, nisi adjectivo jungatur*; v.g. *liber lectu utilis*; cui æquivalet hæc hellenistica; v.g. *liber est utilis legi*; sed fusiùs de his infra cap. 5. coroll.

§. 15. Quod ad eorum exemplum attinet v.g. *oves redeunt pastu*, id est, *de pastu*: in hoc τὸ παστό non esse supinum posterius, sed ablativi casus à verbali *pastus*, vel ipse Scioppius concederet, si rationes nostras absque præjudicio attenderet; regitur enim iste ablativus v.g. *pastu*, ab inclusa præpositione in verbo τὸ redeunt; similiter enim, atque dicimus; v.g. *redire urbe &c.* dicere licet; *redire pastu*: Nec aliter in hoc v.g. *Primus cubitu surgit*; Ubi cave credas τὸ cubitu esse supinum posterius, quin potius ablativi casus, derivati ab antiquo *cubitum*; qui ablativus regitur à suppressa præpositione EX; Prædicatum enim surgit per aphæresin idem valet ac exsurgit. Latinis utpote scriptoribus familiarius nihil esse sollet, quam ut verbis, de loco significantibus, ipsum locum, unde venit, in ablativo casu adi-

adjuvant; Sic latinè dicimus, *abire domò, urbe, rure, villà; proficisci Athenis.* Conferatur DN. SIWERS in præfatione.

§. 16. Verbulò ut tantùm inculcetur de iis, quæ §. 10. *execuntia in BUNDUS dicta sunt*, nobis persuaderi minùs posse, *eadem esse verbalia*, vulgariter ita dicta, aliter ac cæteris visum est, partem, quia *actionem* è *περάξει* connotant, partem, quia *terminum adjunctum* habent, quem verbalibus vitiōsè adsirui §. 14. asseruimus; Alia videlicet ratio est *re cogitabundus*, ac alia *re cogitatio*. An ratio est, quia componuntur ex verbo & dictione abundus v. g. *populabundus agros*, id est, *populans* abunde vel *abundus agros*? Eorundem enim verborum vis est, ut copiam aliquam, aut vehementiam importent, quod videre est in dictione *cogitabundus*, quæ Germanis est, *Voll mit Gedanken*. Svecis Danisque, *Lanckafuldh/ vel Fuld med Lancker*. An duo olim fuerunt *presentis temporis participia activa*, alterum in NS. v. g. *vitans*; alterum in BUNDUS v. g. *vitabundus*. Unicuique sua stat judicandi libertas; sufficiat eadem malè verbalia nuncupari, de quo nunc maximè controversum est.

§. 17.

§. 17. Hactenus de iis actum est, quæ propositionis essentiam, ut Scholæ loquuntur, constituunt; restat porrò monendum, quomodo eorundem in finita & simplici propositione fieri debeat construc^{tio}: Unde sequentia observanda occurunt præcepta:

1. Subjectum finitæ propositionis semper est subjectivi, id est, nominativi casus.

2. Subjectum & Prædicatum numerô & personâ debent convenire.

3. Terminus semper est terminativi, id est, accusativi casus.

§. 18. Hæcce linguae Latinæ fundamenta sunt & axiomata, quorum Tyronibus jugis esse debet memoria, quorum etiam nulla alia afferri ratio potest, *præter ipsum Latinæ linguae genium*, in quo Grammaticis subsistendum est & acquiescendum. Quod autem suo Subiecto in numero & persona re-

spon-

spondere debeat prædicatum, fortassis & hæc
videri potest ratio, quia totâ suâ essentiâ à
subjecto dependet prædicatum, & nihil in-
nuere valet, nisi cum subjecto conjungitur;
quare etiam necesse est, ut numerô & per-
sonâ subjecto se attemperet; v. g. legit
est prædicatum, inde nihil colligi potest,
nisi addideris aliquod subjectum tertie per-
sonæ, singularis numeri, v. g. Petrus, à quo
prædicatum regitur, & cui tanquam causæ
efficienti ista actio tribuitur.

AFFECTIONES.

i. DATIVUS est casus respe-
ctivus. Id est, in casu Dativō rectius Re-
spectivo ponitur res vel persona illa, cui re-
spectus habetur, seu cui res aliqua accidit,
& prædicati actio non quidem in illo, sed
illi, id est, illius gratia terminatur. Opti-
mum enim est, quod SCIOPIUS lib. i.
part. 2. c. 3. NIC. FRISCHLINUS Strig.
Gram. tr. 2. p. 2. de Synt. verb. & cæteri mo-
nent, Dativum à nullo, nec nomine, nec ver-
bo, (nedum adverbio) regi, sed aptè cuivis o-
rationi jungi, cum acquisitionem aut ultimum
finem, commodum vel incommodum, objectum
vet

vel subjectum significat. Sic casum Dativum non solum adjectivis v. g. amicus mihi, utile regibus; & verbis. e. c. dixit mihi, studeo tibi; sed & adverbiosis. e. g. obviam illi, congruentia nature, adjungi & applicari legimus. Sed notandum, quod

Interdum summam cum venustate uni predicato adjiciantur duo substantiva in Dativo posita, quorum alterum personae est, alterum rei: ut, Venit mihi subsidio, i. e. in subsidium; Hoc illis ducitur laudi, i. e. in laudem vel ad laudem.

An autem regulæ hujus ratio est, quia predicato respectus quidam ad utramque, tum personam, tum rem inest, ut ea propter utraque in eodem casu collocetur; v. g. *Hoc tribuitur tibi laudi.* In quo prædicatum respicere videtur non minus ad personam tuam, quam ad qualitatem tuam, nempe laudem, quasi dicerem, v. g. *Hoc tribuitur & tibi, & laudi scil. tue.* Etenim haud infrequens apud auctores esse solet, ut alterutram harum nempe vel personam vel rem suppressæ rei est in hoc Nepotis in Milt. cap. 6. trecentas statuas Demetrio Phalereo decrevit; id est, trecentas statuas DEMETRIO PHALE-

B

REQ

*REO decrevit HONORI. Sic Tacitus dixit ; posuit ILLI templum i.e. HONORI. Exemplum suppressæ personæ est in hoc Senecæ lib. i. de benef. cap. 6. Habebo itaque curæ, i. e. habeo itaque hoc mibi curæ. An vero ratio hujus connectionis est, quia uni substantivo alterum additur per appositionem, ut loqui amant Grammatici; quoniam enim ultraque & persona & res de eodem subiecto dicitur, videtur easdem, etiam in eodem casu convenire debere; Adde, quod, si ad rem paulò penitus attendemus, vero similius sit, personam hic nibil aliud esse, quam substantivum aliquod qualificans & adjectivi officio fungens; Quod si enim transformaveris substantivum personæ in adjectivum synonymum, regularis statim appetet constructione. Sic hanc Nepotis v. g. *Hoc tibi datur vitio Corn.* Tacitus l. X. annal. ita effert; Hoc vero datum vitio putem. Sic non minus haec dici solet; v. g. *Hoc juventuti vitio tribuitur.* quam haec; v. g. *Hoc juvenili vitio tribuendum.* An denique statuendum, hanc constructionem linguae latine nativam esse, quæ in aliis linguis per notas characteristicas tutius observari potest; quando scilicet in Svetico vel Danico*

Cap. I. REGULARI.

19

nicō contextu occurrit particula **E** **I** **L**,
in Germanico **ZU** / non significans **tri-**
cum motum ad locum , sed qualitatem reē
duntaxat connotans , & plerumque Dati-
vo casui postposita ; ut , v. g. Det lag des
hannem **E** **I** **L** berömmelſe : Thet re-
fnades honom **E** **I** **L** een Last : Er
fam ihm **ZU** Hülſſe ; vertebarū illi lau-
di ; ducebatur illi contumelia ; veniebat illi
subsilio &c.

*II. VOCATIVUS est casus
vocandi.*

Regula hæc ulteriori non eget explicā-
tione , quippe quæ ex se intellectu facilis
est , ut nimirūm in casu vocativō ponatur
personā , quæ vocatur , vel ipsa res , quam
alloquimur ; ut , e. g. Heus Syre ; itane
Dave contemnor abs te .

Vade salutatum pro me , liber , ire ju-
beris

Ad Proculi nitidos , officiose , la-
res .

B 2

CAPUT

CAPUT II.

DE AXIOMATE,
Quæ idem sunt, debent con-
venire.

seu, quod idem est,

Simile simili gaudet.

§. I.

TRACTATUM HACTENUS DE IIS EST, QUÆ PROPOSITIONIS *essentiam* CONSTITUUNT, JUXTA AC, QUOMODO EORUNDEM FIERI DEBET CONSTRUCTIO. RESTANT PORRÒ FUSIUS EXPLICANDA, QUÆ CAP. I., §. 2. DICTA SUNT, *esse* VIDELICET PLURA ALIQUA VOCABULA, PROPOSITIONEM ALIQUAM INGREDIENTIA, NEMPE SUBSTANTIVA ALIA, ADJECTIVA, ADVERBIA, CONJUNCTIONES, PRÆPOSITIONES & INTERJECTIONES: NUNC ERGÒ DE SINGULIS ORDINE AGENDUM, & PRIMUM QUIDEM DE ALIORUM SUBSTANTIVORUM, ITEM ADJECTIVORUM APPOSITIONE & APPLICATIO-
NE TRACTABITUR, QUÆ CUM SUBJECTO VEL TERMINO, AUT DISCORDANT, UNDE AXIOMA; QUÆ IDEM NON SUNT, NON POSSUNT
CON-

convenire , aut concordant, unde
hec :

Quæ idem sunt , debent
convenire ,
seu

Simile simili gaudet.

§. 2. Ex Grammaticis haud obscurè constat , *adjectivum* , si seorsim ponatur , *nihil certi indicare* , sed totâ *essentiâ suâ dependere* ex aliquo substantivo , cui propter declarandum illius qualitatem adjungitur : v. g. *bonus* est adjectivum , quis inde quid colligat , nisi addatur aliquod substantivum , cui inhæret adjectivum , & cui essentiam & qualitatem declarat ? Cum inquam , ita à substantivo dependeat adjectivum , necesse est , ut , juxta axioma : Simile simili gaudet ,

Adjectivum tām Nominale , Pronominale , quām Particiale cum suo substantivō , genere , numerō & casu conve-

nire debeat ; ut, v. g. *vir honestus* ; *omnis homo* ; *Ille peccator* ; *amor meus* ; *tuus, suus* ; *illa res*. *Pater amans* ; *obediens filius* ; *uxor paritura, venerandus Senex*.

§. 3. Haud infrequens est, ut aliquid in se ultrâ contineant adjectiva, quâm contine-re soleant debeantvè ; videlicet, *præter qualitatem istam* ; quâ substantivi naturam declarant, aliquam etiam substantivi subsi-stentiam includant, v. g. *amicus* : In hac dictione, primariò quidem significatur *qua-litas* scilicet *amicitia* ; secundariò autem con-notari solet *substantia aliqua inclusa*. v. g. *homo* ; ut consideranti manifestum est ; Unde etiam *juxta axioma* ; *Simile simili gaudet*.

Adjectivis Substantivorum naturam induentibus adjiciantur alia adjectiva in eodem genere, numerô & casu ; ut, *amicus certus* ; *miseri mortales* ; *inimicus meus* ; *vigilans studiosus* :

Ratio est ex vulgato hōc ; *Quicunque succedit in locum, succedit in jus*, Quoniam enim

nim his adjectivis competit substantivi natura, necesse etiam est, ut pari cum substantivis lege gaudent, & cætera adjectiva illis, non aliter ac substantivis, eodem in genere, numero & casu se attemperent.

§. 4. E contrario etiam accidit, ut aliqui substantivo adjungatur aliud substantivum adjectivi naturam habens, id est, quod alterius substantivi vim & qualitatem explicat, seu, quod alteri substantivo aliquam, quasi, *substantialem qualitatem superaddit*; ut, v. g. *Deus vindex. ira furor brevis*; Ubi rō *vindex* item *furor* præcedentis substantivi determinationem & qualitatem declarat: Ideò quoque, quoniam talia substantiva adjectivè ponuntur, necesse est, ut adjectivorum etiam constructionem imitentur. Unde etiam *juxta axioma*; *Simile simili gaudet.*

Substantivum adjectivè possum (id est, Substantivi alterius naturam declarans) apponitur alii substantivo in eodem casu, quod Grammaticis fieri dicitur per APPOSI-

SITIONEM ; ut, *Spiritus bonorum malorumque observator & custos, vindex Deus, Rex Saulus. præsta te virum. Filii mei, dulcissima pignora. Delicia tua, nosler Æsopus; Herodes vulpes &c.*

Notanter dictum in eodem casu : Licet enim saepius accidere solet, ut etiam genere & numerò convenientia substantiva, id tamen non semper fieri exempla jam allata monstrant, v. g. *Herodes vulpes; Delicia tua nosler Æsopus.* Ratio diversi generis est, quia pleraque substantiva variationem per genera non admittant, sed maneant invariabilia, & proinde quoque, quando aliis apponuntur substantivis, non possunt nativo genere non gaudere : Ratio autem diversi numeri est, quia substantivum adjectivè positum potest esse vel *collectivum, seu universale*, quod pluribus substantivis (etiamsi pluralis numeri,) in singulari numero respondet : v. g. *palantes dispersæ sunt oves, grex viginti millium. Scelerati, nefarii, oberrati, gravis pestis Reipubl. Ingruebant propemodum omnes de plebe homines, perpetuum mobile otiosæ Reipubl. vel quia substantivum adjectivè positum, & pluralis tantum numeri, adjungitur alicui fin-*

singularis numeri substantivo. v. g. *egit festum auspiciatissimum*, nuptias. Deliciæ tuæ, *noster Aesopus* &c.

CAPUT III.

DE AXIOMATE.

Quæ idem non sunt, non possunt convenire.

§. I.

Nihil in stylo dissimilius est, quam *duo substantiva, diversam rem significantia, ac ea propter, tantum abest, ut eodem, genere, numerō & casu convenire possint, ut diversis potius, tum generibus, tum numeris, tum etiam casibus gaudeant*; v. g. *liber patris*, ubi duo diversa sunt substantiva, & ideo propter discordiam casu convenire nequeunt; Hinc, juxta axioma;

Quæ idem non sunt, non possunt convenire.

Duorum Substantivorum, diverse significantium alterum

B 5

rum

rum ponitur in genitivo, id est,
possessivo casu; ut, v. g. liber pa-
ris; studium virtutis; sapientiae initium.

Ratio genitivi est, primò, *genius linguae latine*, secundò, quia iisdem substantivis, aliquam quippe possessionem significantibus, genitivus casus, rectius *possessivus*, peculiaris est & proprius. Ulterius si notam characteristicam casus genitivi quæras, solet illa in Svetica, Danicâ & Germanicâ lingua in lit. S. saepiusculè desinere. v. g.
Hwæs er thenna Book? thet är *Faders* / *Modhers* / *Peters* / *Carls* &c.
Hwæs är denne pen? det er *Peders* / *Johans* / *Hanzes* &c. Es ist *Jochims* / *Arnolds* &c. Et quanquam in hisce linguis, aliis interdum reperiatur modus, quo efferti solet casus possessivus, parum tamen ab hac differt, utpote in quam levi mutatione converti potest: v. g. *Die Stimme WDN GÖT* / i. e. *die Stimme GÖT-TES*. Begynnalze til *wysheet* / i. e. *Wyshetenas begynnalze*. Een beskier-
mere ofwer de *Gode* / i. e. *de Godes be-
skiermere* &c.

§. 2.

§. 2. Gerundia etiam in causa possessivo suis adjiciuntur substantivis. ut, v. g. *studium legendi*; *desiderium videndi*, *amor audiendi*: *Qn̄st L̄ JL AL see/ begierligheet at lāsa.*

Ratio hujus constructionis est, quia *versum* à suo substantivō significat gerundium: Dissentanea enim sunt, v. g. *desiderium & videndi*; *studium & legendi*; quod vel exinde patet, si in locum Gerundii sufficeris verbale aliquod, vel synonymum nomen substantivum, v. g. *amor visus*. *studium lectionis &c.* quæ, quia diversa sunt, diversum etiam casum postulant, *juxta axio-
ma: Quæ idem non sunt, non possunt convenire.* Quamvis, quod & obiter hīc notandum, aliqua differe-
rentia est inter verbale & gerundium.

§. 3. Superiori capite §. 3. satis, credo, probatum est, *adjectiva substantivi naturā & subsistentiā se interdum induere*: v. g. *amicus fidus*. Id quod etiam secundum alterum hoc axioma: *Quæ idem non sunt, non possunt convenire, contingere haud raro so-
let, ut*

Adje-

Adjectivum tam nominale, pronominale, quam participiale substantivi subsistentia gaudens, aut aliud sibi adjunctum habeat substantivum, aut alii adjungatur in casu possessivo; v. g. odiosus rixarum. peritus juris. cupidus gerendi bellum. uxor amici. liber studiosi. domus illius. memoria mei, tui, sui, nostri, vestri. patiens inediæ &c.

*De adjectivis nominalibus res est manifesta. Cum enim adjectivum ad omnia tria genera alias *indifferens*, peculiare genus ex sua cum substantivo convenientia nanciscatur; ideo quoque, quia in his v. g. *odiosus rixarum*; *peritus juris*. adjectiva nempe *odiosus*, *peritus* in masculino genere collocentur, indicium est, ut includatur in his adjectivis aliqua substantivi subsistentia masculini generis, v. g. *homo*. Cui subsistentiae quia hæc v. g. *rixarum*, *juris* &c. re diversa sunt, necesse etiam est, ut casu different. Hujus generis volunt Grammatici esse *adjectiva curæ*, *desiderii*, *notitiae*, *memo-
riæ*,*

riæ, criminis, metus, corundemque contraria; Quibus meo judicio addenda videntur hæc tria; *compos*, *impos*, *expers*; quæ contractè dicuntur pro *compotens impotens*, &, si diceret licet, *experitus* i. e. non peritus, v. g. *compos voti*, i. e. *compotens voti*; *impos animi* i. e. *impotens animi*, *expers mali* i. e. *experitus vel non peritus mali*. sic: *expers Græcarum literarum* i. e. *experitus Græcarum literarum*. Confer, quæ infra de ellipsis part. 2. c. 2. §. 2. dicentur.

Nec ullum de adjectivis pronominalibus potest esse dubium, quin & interdum aliquam substantivi subsistentiam includant: v. g. *domus illius*: id est, *domus illius hominis*. Sic *cujus filius?* i. e. *cujus hominis vel patris filius?* *amor mei* i. e. *mei suppositi*. *cura tui* i. e. *tui suppositi*. *memoria vestri* i. e. *vestri suppositi*, *vestri collegii*, *convenitus*, aut id genus. Heic ergò juvat, quasi in transcursu, meminisse distinctionis inter has connexiones v. g. *amor meus*, & *amor mei*. *desiderium tuum* & *desiderium tui*. *memoria nostra*, & *memoria nostri*. Tum scilicet pronomina possessiva, nempe *meus*, *tuus*, *suis*, *noster*, *vester* in eodem genere, numero & casu cum substantivo consentire debere,

bere, quando adjectivē ponuntur, id est, quando qualitatem aliquam personalem seu differentiam aliquam individualem duntaxat important: v. g. amor meus. Tō meus qualitatem personalem innuit, & subiectum seu individuum illud demonstrat, à quo, tanquam causā effētrice amor iste emanat, ideoque eorundem est constructio juxta axioma: Quæ idem sunt, debent convenire. Atqui pronomina possessiva *meus*, *tuus*, *suus*, *noster*, *vester*, in genitivo tum demūm collocari, eum in illis delitescat aliqua natura substantialis, ideoque tanquam diversum aliquod correlatum alii alicui substantivo cœu relato in casu possessivo adjungitur, ut supra dictum est; v. g. desiderium *mei* i. e. *mei suppositi*, vel desiderium, quō *alius* in *me* flagrat, seu desiderium *alius* personæ in *meam personam*; Sic *meus amor tuus* i. e. *tuæ personæ*, seu *amor*, quem *ego* in *Te* vel *tuum suppositum* gero. Unde etiam acutissimus VOSSIUS in *Synt. de reg. nom. reg. 2.* sic se expedit, statuendō has constructiones. v. g. *memoria mei*, *copia sui* explicandas esse passivē v. g. *amor tui*, id est, *amor ille*, quō *tu amaris*; Et sanè recte; nam reverà pronomina possessiva alterius substantia-

stantivi vim h̄c terminant, & proinde se etiam *passive* habeant: Contra verò, acti-
vè debere explicari has connectiones: e. g.
amor *meus* i. e. quo ego amo, desiderium
tuum, id est, quō tu desideras &c. Non i-
gnoro, alios statuisse hac. v. g. mei, tui, sui,
nostri, vestri esse genitivos pronominum pri-
mitivorum, & in eandem sententiam sat præ-
gnantibus induci argumentis: ceterum, si in
h̄s v. g. amor vestri, memoria nostri, tò no-
stri, vestri essent genitivi casūs, pluralis nu-
meri, quidni etiam diceremus, amor no-
strūm, memoria velstrūm, quam construc-
tionem vix videor vidisse apud Classicos Aucto-
res, Etamen juxta eorum hypothesis, vestrum
& vestri, item nostrum & nostri sunt syno-
nyma genitivi casūs pluralis numeri? Refat
propterea, ut propior à vero videatur nō stra-
sententia; ratio est, quia apud Classicos Aucto-
res expressa sapientia inveniatur ea subsistentia,
quam in se continent pronomina possessiva ge-
nitivi casūs; Unde Cic. pro Rabir. dixit; Ni-
hil horum sine magna curā, & summa cha-
ritate vestri ordinis loquar.

De Adjectivis denique participialibus res
cœlō sūdō clarior est, ut nimirum aliquam
subsistentiam interdum includant, & iccir-

co

cò aliud diversum substantivum sibi habent adjunctum in casu possessivo; v. g. *Sall. bell. Cat.* appetens alieni i. e. homo nempe *Catilina*: item, servantissimus æqui i. e. homo servantissimus æqui. Omnipotè enim est sicut SCIOPPIUS l. 1. part. 2. c. 3. § 6. GROSIPPIUS de rect. nom. adject. ex part. fact. & qui omnium optimè MARIANGELUS auct. disp. 3. differit, habere talia adjectiva, participialia (quæ nempe regunt genitivum) faciem tantum adjectivi, sed vim substantivi, & eapropter ex concurso duorum substantivorum (nam quicunque succedit in locum, succedit in jus) illis adjungi solet diversum substantivum in casu possessivo, juxta axioma; Quæ idem non sunt, non possunt convenire.

Neque hic prætereunda est distinctio inter has connexiones; amans pecuniam, & amans pecuniæ. appetens alienum, & appetens alieni. Videlicet participium amat accusativum seu terminativum casum, quando actionem suam actu intendit: v. g. amans pecuniam i. e. qui jam actu amat pecuniam: ratio est, quia hoc participium ad naturam verborum activorum praesentis temporis proprius accedit, quæ semper actionem suam

suam actu in terminum inferunt; Verum, tum genitivum sibi casum adsciscit partici-
pium, cum potentiam actionis, aut facultatem
saltem indicat, actione in actum sive dedu-
ctâ, sive deducendâ; Sic v. g. qui dormit,
scribit, vel alicui alii rei intentus est, amans
pecuniae dici potest; Ita quoque Catilina
Sallustio satis congruè dicitur alieni appre-
tens, etiamsi jam tum præliò occubuit: ra-
tio est, quia hujus generis participia natu-
ram referunt nominis substantivi, quod interdum
quoque actionem quidem, sed abs-
que temporis differentia connotat: Hinc
etiam subtilis ille VOSSIUS reg. I. obs. 2. de
reg. partic. mutari horum participiorum
significationem dicit, quia tempus amitt-
tunt, & exempla hæc v. g. fugitans litium
ita explicat: qui lites fugere solet; patiens
inediæ i. e. qui inediampati adsuevit.

§. 4. Adjectiva, seu Positi-
vi, Comparativi seu Superla-
tivi gradūs, exceptionem ali-
quam significantia, propter
inclusam substantivi subsi-

c sten-

stentiam, requirunt sibi genitivum, sive singularis, sive pluralis numeri, (prout ex uno pluribus ve fiat exceptio;) qui genitivus exponi potest per particulas, DE, E, EX, PRÆ, ANTE, INTER; ut, Nulla belluarum. Minor fratum. Villoſiſſimus animalium lepus. Doctiſſimus totius Græciæ &c. quæ exponuntur: Nulla ex belluis. Villoſiſſimus inter animalia &c.

Ratio hujus connexionis est, quia adjectiva isthæc exceptiva vel partitiva aliquam substantivi naturam in se includunt; quod vel inde apparet, quia adjectiva hæc ad generis mutationem, alias, ut supra diximus, indifferentia, certo nibilominus genere hic determinantur, quod vix fieret, nisi obliquè connotaretur aliquod substantivum, cui determinatum genus debent. v. g. nulla belluarum, quâ, quæſo, ratione credis adjectivum nulla locatum esse in fœminino genere, niſi quod aliquam fœminini generis substantiam v. g. bellua. simul in se contineat: quasi dices; nulla bellua belluarum: Sic, peritiores geographorum i. e. peritiores geo- græ-

graphi geographorum? Unde etiam ex concursu diversorum substantivorum alterum erit casus genitivi, juxta axioma: *Quae idem non sunt, non possunt convenire.* Tanta est, ut vix dissensum patiatur sententia CL. VOSSII, existimantis suppressum hic esse, tò ex numero, v. g. *militum decimus*, id est, *ex numero militum decimus*; *doctissimus omnium*, i. e. *doctissimus ex numero omnium*. Sed ignoscat, si dixero, de ellipsi minus laborandum esse, ubi ex regulari Syntaxi potior exsurgit ratio.

Sunt autem, *præter Comparativa & Superlativa*, hæc ferè adjectiva partitiva: *Ullus*, *nullus*, *solus*, *uter*, *uterque*, *utercunque*, *uteravis*, *uterlibet*, *alter*, *alteruter*, *neuter*, *alius*, *aliquis*, *quidam*, *quispiam*, *quisque*, *unusquisque*, *cæterus*, *reliquis*, *omnis*, *cunctus*. Item numeralia *unus*, *duo*, *tres &c.* *primus*, *secundus*, *tertius &c.* *singuli*, *bini*, *terni &c.*

§. 5. Latinæ linguae pariter ac aliis admodum familiare est, ut cum nullum adsit vel adesse velimus certum & determinatum substantivum, in illius locum surrogetur aliquid adiectivum, neutrò genere positum v. g. *Sall.*, *bell.* *Catil.* *pulchrum* est benefacere Reipublicæ, etiam bene dicere haud absurdum est:

Ubi rō pulchrum, absurdum, ponuntur in neutro genere, quia certum non præcedit substantivum, cum quo in masculino vel feminino genere congruere debent. His, inquam, adjectivis cum & in esse soleat aliqua, licet indeterminata subsistentia, necesse est; ut, juxta axioma: *Quæ idem non sunt, non possunt convenire.*

Adjectivis tam nominalibus quam pronominalibus neutrō genere positis, propter inclusam substantivi subsistentiam, adjiciatur aliud substantivum in casu possessivo, qui exponi potest per particulas, DE, E, EX, PRÆ, ANTE, INTER; ut, *tantum cibi* i.e. *tantum, quicquid est, cibi*, vel *tantum pondus cibi*, *tanta portio cibi*, vel *tantum ex cibo*. *Hoc literarum* i.e. *hoc contentum*, vel *hoc, quicquid est, literarum*; vel *hoc contentum ex literis*. *Optimum omnium*. Hic in utroque, tum in *optimum tum in omnium* includitur aliqua subsistentia, quasi dices:

res: optimum negotium omnium negotiorum
vel optimum negotium ex omnibus negotiis.

Adverbia denique substantivè usurpata etiam casu possessivo seu genitivo gaudent, qui genitivus exponi potest per DE, E, EX, PRÆ, ANTE, INTER; ut *Sall. bell. Ca-*
till. satis eloquentiæ sapientiæ parum. abunde auri. largiter argenti i.e., largiter ex ar-
gento.

Ratio SCIOPPII elliptica l. 1. part. 2. c. 8.
suo stet valore: Quippe putat genitivum,
hunc non regi ab adverbio, sed à suppresso sub-
stantivò v.g. res vel negotium, quasi diceres;
v.g. *satis eloquentiæ i. e. res eloquentiæ sa-*
tis. Sic, abunde auri id est, res abunde auri.
Nos tamen credimus, considerantem non
latere, quòd iste genitivus ab adverbio omni-
nò regatur, quia illud, pariter ac aliquod no-
men adjectivum neutrius generis inclusam
aliquam substantivi subsistentiam in se con-
tineat; v.g. *satis eloquentiæ i. e. satietas elo-*
quentiæ. abunde auri, id est, abundantia-
auri &c.

C 3

CO-

COROLLARIA.

I. Hisce omnibus probe intellectis, nihil negotii facessit Pronominum Relativorum Qui, Quæ, Quod constructio, quam tamen Veteres Grammatici multis difficultatibus implicatam crediderunt; Tenendum ergo:

Pronomen Relativum Qui, Quæ, Quod, semper est nota minus principalis propositionis,

Si determinati & expressi alicujus substantivi antecedentis naturam in se includat, debet cum illo substantivò genere & numero consentire, juxta axiomam: Simile simili gaudet: Quò autem in casu ponatur, videre est ex compositione illius propositionis, cui præfigitur, an subjecti vel termini locum obtineat; an illi respectus vel possessio competit; an demùm à præpositione quâdam seu expressâ seu suppressâ dirigatur: v. g. Vell. Pater. b. i. lib. I. Quis eum (nempe Codrum) non miretur, qui iis artibus mortem quæsierit, quibus ab ignavis vita quæri solet? ubi rò qui est subjectivi casus, secundum

dum regulam : *Subiectum finitæ propositio-*
nis semper est subiectivi casus ; sed masculini
generis est singularis numeri, quia antece-
dens substantivum, ad quod refertur, nem-
pe Codrus, ejusdem generis est, ejusdem-
que numeri : Unde melioris notitiæ ergo,
in explicatione Relativorum idem antece-
dens substantivū repetit SCIOPPIUS & cæ-
*teri: v.g. *Onus leve fit, quod(onus) benefertur.**

Sin autem indeterminatum vel comple-
xum quid, id est, totam aliquam propositio-
nem repeatat relativum, propter defectum sub-
stantivi determinati ponitur in neutro genere,
perinde, ut §. 5, hujus capitinis dictum est: v.
*g. in hoc Terent. *Ego uxorem nunquam ha-**
**bui, quod fortunatum isti putant;* ubi Rela-*
tivum quod totam refert antecedentem
propositionem : Nam si relativum in ma-
sculino genere locaretur, aliis esset sen-
*sus ; v. g. *Ego uxorem nunquam habui,**
**quem fortunatum isti putant :* Hic enim*
relativum quem respondet demonstrativo,
Ego ; ut non ita præcisè à vitato matrimo-
nio, sed ab alia aliqua re fortunatus dicerer;
*Sic etiā, si dixero: *Ego uxore nunquam habui,**
**quam fortunatam isti putant;* Ubi relativum*
quam solum tò uxorem refert, qua fortuna-

ta putatur. Verum, cum tò fortunatum non
divisivè alterutri, sed compositè toti propo-
sitioni antecedenti respondere debeat, po-
nitur in neutro i. e. indeterminatò genere,
quasi dices: *Uxorem nunquam habui, quod
contentum, (nempe uxorem non habere,) isti
fortunatum putant.*

2. Pronominum Recipro-
corum usus est, quando redditur ad no-
men tertiarè personæ, quod antecedit, v. g.
Orare jussit hera, si se ames, ut ad se te venias;
Hic reciprocum se præcedentem tertiam
personam nempe heram refert quasi dice-
res: *Orare jussit hera, si se (heram) ames,
ut ad se (heram) venias.* Magna quippe est
differentia inter has propositiones: v. g.
Rogat te Cæsar, ut suas partes sequaris: &;
Rogat te Cæsar, ut illius partes sequaris: In-
priori enim exemplò pronomen reciprocum
est i. e. reflexivum in præcedentem perso-
nam: *In posteriori autem, pronomen so-*
lum est demonstrativum in aliam aliquam,
personam; quasi esset v. g. Rogat te Cæsar, ut
illius nempe Pompeji partes sequaris. Ad-
biberi etiam Pronomen Reciprocum solere à
Classicis Auctoribus, accuratè observarunt PA-
SCHA-

SCHASILIS GROSIPPUS, VOSSIUS, & MARIANGELUS, ubi pronomina relativa *IS*, *ILLE*, *IPSE*, *ISTE*, ambiguitatem sententiae pariunt: ut Cat. de re rust. *Vitis si macra erit, farmenta sua concidito minute: pro, farmenta illius.* Sic: *Vulpes comedit gallinam cum pullis suis; pro, cum pullis ejus.* Nep. Antonius non solum Ciceroni, sed etiam omnibus suis amicis erat inimicissimus, pro ejus sc. Ciceronis.

3 Interrogandi & respondendi voces casu convenire debent. Ratio est, quia utriusque voci tam interrogationis, quam responsionis eadem est aetio, eademque passio, aut id genus alia aliqua affectio. v. g. *Quis partem noctium studiis vendicavit?* Seneca. Ubi tò Seneca est casus subjectivi, quia, similiter ac pronomen *Quis* est subjectum istius propositionis. Quapropter etiam magnoperè placet consilium CL. SIWERS in Gram. maj. ut difficultatis vitanda ergo asuecant Tyrone interrogationem repetere v. g. *Quis somno vacavit?* Seneca somno vacavit. *Cujus est iste liber?* Petri liber est. *Cui scripsisti literas?* Petro scripsi literas &c.

C S

CAPUT

CAPUT IV.

DE PROPOSITIONE COMPOSITA ET INFINITA.

§. 1.

Hactenus de propositionibus finitis & simplicibus. De INFINITA & COMPOSITA etiam tractaturis primò se offert VERBUM INFINITUM, cuius vim & naturam si altius penetremus, deprehendimus illud esse, consentiente VOSSIO, SCIOPPIO aliisque, verbum nominis pñne simile, preterquam quod simul tempus, actionem vel passionem includit, Et terminum sibi interdum sociat. Inde est, quod non solum in subjecti, sed etiam in termini locum succedat infinitum, quoties actio & passio, item certa aliqua temporis differentia, quibus deficiunt nomina, indigitari debent. v. g. errare humanum est i. e. error humanus est. vult abire i. e. vult abitum.

§. 2- De SUBJECTO INFINITO constans est & pervagata non Veterum minus, quam Recentiorum Grammaticorum sententia, *Infinitum aut totam infinitam orationem*

nem (propositionem) loco nominativi, (subjecti simplicis) usurpari; v.g. Errare huma-
num est. didicisse fideliter artes, emollit mo-
res. idem velle, & idem nolle eadem fir-
ma amicitia est. Sed miror admodum, qui
factum est, ut eundem construendi mo-
dum in TERMINO non observarint Gram-
matici, cum apud Clásicos Auctores nihil
fermè crebrius occurrat, quam ut verbum,
infinitum, aut tota aliqua infinita propositio
in termini locum similiter substituatur, quo-
ties præcedens prædicatum finitum est transi-
tum (Intransitivis enim nec ullus terminus,
nedum infinitum, quod vice termini gau-
det, adjungi potest) v. g. volo abire, i. e. volo
abitum. Dixit se scribere literas id est, Dixit
se scribentem literas. Unde evidenter proba-
tur, infinitum non solum esse subjectum,
sed etiam terminum, atque adeò proposi-
tionem infinitam non subjectivam solum,
sed etiam terminativam dici oportere.

§. 3. Nihilominus tamen de TERMINO
INFINITO alio modo egerunt Gramma-
ticci, condendo hanc regulam; Quando duo
verba concurrunt, alterum erit infinitivi mo-
di: Quæ licet firma sit, Tyronibus tamen
prima specie se non probat, utpote quæ non
decla-

declarat, utrum eorum verborum transferri debet ad Infinitum: Proinde facilius apparet hoc axioma:

Verbum verbi terminus semper est infinitivi modi.

Id est: Quando duo verba ita concurrunt, ut alterum alterius actionem terminet, locatur illud in infinitivo, quod actionem alterius terminat: v. g. *decrevit abire*; ubi *Tò abire* est infinitum, quia est finiti prædicati terminus; *quid enim decrevit?* *decrevit abire*.

Nota: *Infinitum hoc, sive subjectum sit, sive terminus, commode exponi posse per verbale Synonymum.* v. g. *peccare malum est*, i. e. *peccatum malum est. decrevit abire*, i. e. *decrevit abitum*.

§. 4. Et tantum de Subjecto & Termino Infinito. Fieri porrò potest, quod §. 2. inculcatum est, ut *propositio aliqua in locum Subjecti vel Termini substituatur*, quarum alteram SUBJECTIVAM, alteram TERMINATIVAM haud ineleganter dixeris. v. g. *Nepos in vit. Paus. c. 5. Dicitur eo tempore, Matrem Pausaniae vixisse*; ubi *Tò Matrem Pausaniae vixisse*, est subjectiva propositio,

sitio, quia est id, quod dicitur. Sic: v.g.
Dixit se abire, i.e. Dixit se abeuntem.

Nota 1. In propositionibus infinitis, debere infinitum adjective explicari: v.g. arbores videntur cadere: i.e. cadivæ, caducæ. mula parere dicitur i.e. pariens. Dixit se abire, i.e. abeuntem &c. Penitus enim si rem intuitamur, videtur infinitum hic esse adjectivum aliquod verbale, quod subjectum suum declarat, & ad hanc vel illam actionem determinat.

Nota 2. Notam characteristicam harum infinitivarum propositionum apud Germanos esse particulam DAS; apud Svecos & Danos particulam AE; v.g. A dio Te diligenter pelegere: Ich höre/ DAS du fleißiger überlesest. Tagh hörar / AE tu flitigare öfwar läßar. Jeg hører/ AE du leßer flitigere ofwer.

§. 5. SUBJECTUM harum Infinitivarum Propositionum cujusnam debet esse casus, maximam Grammaticis controvrsiam fecit. Est quidem illis hæc regula: *Infinitivum præcedit Accusativus, i.e. Subjectum Infinitivi est Accusativi casus.* Quæ regula vera est, quoties, (1) propositio infinita est terminativa: v.g. *Dixit se abire*, ubi

ubi subjectum infiniti v. g. *se* est accusativi casus, quia est antecedentis prædicati finiti terminus (*non enim implicat, idem diverso respectu posse esse & subjectum & terminum*) infinitum autem, v. g. *tò abire* est instar adjectivi verbalis, quasi dices; v. g. *dixit se abeuntem*. (2) quoties Prædicato finito passivo adjungitur subjectiva propositio materialiter posita; v. g. *Matrem Pausaniæ vixisse dicitur i. e. hoc contentum vel hoc materiale, nempe Matrem Pausaniæ vixisse dicitur*.

§. 6. Alia autem est ratio harum constructionum: v. g. *Serbus cunctari videtur. Mula parere dicitur*, ubi subjectum infiniti est nominativi casus: Harum autem constructionum ratio hauriri posse videatur ex propositionum conversione, prout in activo terminativam propositionem vel complexe vel incomplexe sumseris: v. g. *Dicunt mulam parere; Ubi si infinitam propositionem complexe & materialiter efferas, quasi dices; Dicunt hoc contentum vel hoc materiale nempe tò mulam parere; materialiter etiam in passivo, subjecti loco ponitur, v. g. Hoc contentum nempe tò mulam parere dicitur; Quicquid enim*

est

Cap. IV. REGULARI.

47

est terminus actionis in activo , debet esse subjectum passionis in passivo . Ubi verò in activo terminativam propositionem incomplexe consideres , quatenus subjectum infiniti solum sit prædicati finiti terminus , ut toties diximus ; tunc elegantior ex conversione resultat constructio : v. g. *Mula parere* dicitur : *Mater Pausanijæ vixisse* dicitur . Sed plura infra de conversione .

§. 7. INFINITA autem PASSIVA item ESSE & FIERI , si formaliter considerentur , meo judicio , esse videntur copule verbales inter rem & rei qualitatem , quas genere , numerō & casu conjungunt . v. g. *cupio me videri doctum* ; & , *Ego cupio videri doctus* . Licet mibi esse beato . Dicimus etiam complexe ; Licet me esse beatum , sed prior est elegantior .

§. 8. Coronidis loco notandum est , quando particulae Causales UT vel QUID omitti , & prepositio ad infinitum reduci potest . Scilicet dum demum omitti particulas , cum vel prædicatum passivum subjectō , vel prædicatum transitivum termino simplici destituitur , ut ita infinita propositio partium absentium vices suppleat . v. g. *Petrus dixit , quod scriberet litteras*

literas : Hic tuto particula **Q**UOD o-
mitti potest , quia præcedit prædicatum
transitivum ; cujus terminus esse debet
altera propositio in infinitivo posita : v.g.
Petrus dixit, se scripturum esse literas. Quod
si verò prior propositio omnibus suis ab-
soluta est partibus , retinendas esse parti-
culas causales , nec propositionem per In-
finitivum transponendam; v.g. *Hera te*
rogavit , ut ad se venires. Barbarissimum
saperet , si eandem ita efferrem : *Hera*,
te rogavit , te ad se venire. Observa au-
tem , non semper Prædicato finito transiti-
vo , terminò carenti apponi propositionem
infinitam : *Nam Classicos Auctores aequa*
bet hec : v. g. Dico, quòd hoc verum sit: at.
que illa : Dico hoc verum esse. Vide sis
Mariangelum *disp. 6. auct.*

CAPUT V.

DE PROPOSITIONUM
CONVERSIONE.

§. I.

Propositionum conversionis mentio-
nem capite præcedenti fecimus : Nec
de nihilo facturos nos speramus , si aliqua
hoc

hoc capite de Propositionum
Conversione prolixius præcepemus, tum, quia maxima inde redundat utilitas, tum, quia absque illius usu, nec latine satis scribi, nec exactam linguæ rationem reddi, notitiam vè haberi posse nemo diffiteri potest.

§. 2. Usus Conversionis, licet varius sit, præcipuus tamen; (1) Ut vitetur dubius sensus: nempe, quando infinitæ propositionis cùm subjectum, tùm terminus, est accusativi casus, ut difficile sit, subjectum à termino & vicissim, dignoscere: v. g. *Ajo te Æacida Romanos vincere posse*: Hic dubium est, uter illorum, *Æacides*, an Romani vincerent: Verùm, si in passivam conversa fuisset, omnis ambiguitas exulasset, v. g. *Ajo te Æacida à Romanis vinci posse*. (2) Ut accuratior & elegantior fiat construatio: Nimirum, quando certo & determinato subjecto caret aliqua propositio activa, tunc venustius in passivam convertitur, & impersonaliter ponitur; hinc elegantius dicitur, v. g. *Scribitur, quàm scribunt*. In conviviis saltatur, quàm, in conviviis saltant.

D

§. 3.

§. 3. Est autem omnis propositio verborum in Oeixeuntium , convertibilis ab activo in passivum, & vice versa.

§. 4. Propositionum Transitiivarum conversio ab activo in passivum hac arte instituitur : Terminus activi ponatur in casu subjectivo : Quicquid enim est terminus actionis in activo, debet esse subjectum passionis in passivo ; Cui in eodem numero & persona respondere debet Prædicatum passivum, juxta illud ; Subjectum & Prædicatum, numero & personâ convenire debent. Et Subjectum denique activi ponatur, vel in ablativo cum præpositione A vel AB, causam efficericem denotantibus : vel in Dativo, cum

cum nimirum respectus importetur, quod
in futuro participii passivi semper contin-
git. e. g. *Nos amamus Deum*: Deus amatur
à nobis. Deus mihi dedit vitam: vita mihi
data est à Deo. Petrus vidit hominem: Ho-
mo visus est Petro, vel, à Petro. *Nos petitur*
sumus pacem: pax petenda est nobis: non,
pax petenda à nobis; nedum ad mentem
Scioppii; petendum est pacem. Nota: in
passivo, plerumque excludi activæ propositionis
subjectum, nisi ejus præsentiam postulet vel
præcisa unius ad alterum relatio, vel perso-
narum differentia, vel sententiæ obscuritas,
aut aliud quippiam; ratio est, quia passivæ
propositiones plerumque adhibentur, quando
subjectum activi est indeterminatum, qua-
propter convertitur in passivum, ubi haud
ita queritur, A QUO fit, sed QUID fit.

§. 5. Hunc convertendi modum imi-
tantur DEPONENTIA, quæ accusativum
regunt, quorum futurum participii in DUS,
DA, DUM, uti ex Grammaticis constet,
passivè significat: v. g. *Nos confessuri su-
mus peccata*: Peccata confitenda sunt nobis.
Veneraturi sumus Patrem: Pater veneran-
dus est.

§. 6. Casus GERUNDII verborum.

D 2

trans-

transeuntium, nempe *Genitivus*, *Accusativus* & *Ablativus*, etiam transponuntur ad futurum *Participii* passivi : v. g. *tempus legendi epistolam* : *tempus epistola legenda*. In defendendo gloriā : *in gloria defendenda*.

§. 7. VERBUM autem INTRANSITIVUM, omni quippe termino destitutum, in passivo subjectum habere nequit, sed ex defectu subjecti ponitur *impersonaliter* & *neutraliter* : v. g. *In conviviis saltant* : *in conviviis saltatur* : *Eunt, nos omnes perditum* : *Itur, nos omnes perditum* : *Postquam Chersonesum venissent* : *Postquam Chersonesum ventum esset*. Ubi cave credas cum FRISCHLINO, τὸ *ventum*, esse Supinum, sed potius ex defectu determinati subjecti poni *neutraliter*; ut c. 3. §. 5. dictum est: *Quippe quod nominibus neutrum, id verbis impersonale est*; utrumque enim indeterminatum quid importat.

§. 8. Pari quoque modo FUTURA PARTICIPII ACTIVI verborum intransitivorum convertuntur, ponendo prædicatum *neutraliter*: e. g. *Nos venturi sumus*: *veniendum est nobis*. *Cursuri sumus*: *currendum est*.

§. 9.

§. 9. Verba anomala, Ut or, fruor, fungor, vescor, potior, & nitor, quippe termino carentia, etiam ad futurum participii passivi convertuntur neutraliter. v. g. *Nos usuri sumus atate; atate nobis utendum est.*

Nota 1. *Verb, autut naturâ transitiva, intransitivè tamē sâpè poni, quia terminus, quô affici debebant, vel supprimitur, vel complexè & indeterminatè effertur: v. g. nunc est bibendum. Orandum est. Fatendum est, &c.*

Nota 2. *A Classicis Auctoriibus loco prædicati passivi habeor vel æstimor eleganter substitui verbum substantivum S U M, eiq; jungi subjectum activæ propositionis in Dativo; v. g. Ego habeo librum: Liber habetur à me: Sed melius: Liber est mihi: Ego hac re opus habeo: Opus habetur hâc re; sed elegantius: Opus est mihi hâc re. pluris æstimatur testis oculatus: pluris est testis ocnatus.*

§. 10. Et hactenus de propositionibus simplicibus. COMPOSITARUM haud adeò magna est difficultas, modo obseruentur, quæ cap. super, dicta sunt, & distinguatur inter propositionem complexè & in-

complexē sumtam. Complexa enim terminativa propositio, in passivo, subjecti locum complexē etiam occupat. v. g. Dicunt, Paulum scripsisse literas, convertitur: Paulum, scripsisse literas, dicitur; Ast ubi in activo terminativam propositionem incomplexē consideres, ut subjectum infiniti solum sit finiti prædicati terminus; infinitum autem, ut aliquod adjективum verbale; tunc venuſtiori convertendi modo, subjectum infiniti præfigitur prædicato finito passivi, v. g. Dicunt Paulum scripsisse literas. Paulus dicitur scripsisse literas: Dicunt mulam parere; Mula parere dicitur.

§. II. Ipsæ denique INFINITÆ PROPOSITIONES, juxta consuetam methodum, ab activo in passivum, & vicissim convertuntur; & Infinita quidem transitiva, terminum activi convertunt in subjectum passivi: v. g. Dicunt, Regem corrupisse Alcibiadē: Dicunt Alcibiadē à Rege corruptum esse: Infinita autem Intransitiva ex defectu termini ponuntur in passivo impersonaliter; v. g. Dicunt illum abire: dicunt abiiri ab illo; vel brevius, dicunt abiri. Hanc conversionem imitantur illæ propositio-nes, in quibus verbo Intransitivo ire jungitur

tur supinum prius : v.g. *Dixit illos ire emptum libros* : *converte* ; *Dixit iri emptum libros* ; vel, *dixit libros emptum iri* ; ubi Tò *libros* non est subjectum infinitivi, sed terminus supini, quod probe observandum est.

COROLLARE.

Sed multis ingeniis lubet eximere scrupulum, qui incidere solet illis, qui supinorum constructione torquentur. Habent suas regulas Grammatici, obscuras autem & intricatas, quibus consulatur magis, an noceatur juventuti, judicent; *Quos penes arbitrium est, Eius, Et norma loquendi*. Nos autem ituri proprius, dicimus Supinorum, notas characteristicas esse in Danico, vel Sveticō idiomate particulas **I** **J** **L** **A** **E** vel **A** **E**; in Germanico part. **G** **U**/ quibus particulis præcedit vel verbum, motum ad locum significans, vel substantivum, vel adjec̄tivum.

Si VERBUM præcesserit, ponitur alterum verbum, cui sc. præfiguntur particulæ:

1. In supino priori, *abiit petitum panem*.
2. In futuro part. act. *abiit petiturus panem*.
3. In Gerund. cum præpos. **AD**, *abiit ad petendum panem*

D 4

Si

Si SUBSTANTIVUM; advertendum est,
agatne an patiatur verbum:

Si agit, ponitur in genit. Gerund. *studium legendi.*

Sin patitur, in futuro part. pass. v. g. *Dedit mihi librum legendum.*

Sin ADJECTIVUM, pariter advertendum, agatne an patiatur verbum:

Si agit, ponitur in Gerund. cum præpos. AD.
v. g. *expeditus ad bellandum.*

Sin patitur, in supino posteriori; ut, *liber est difficilis lectu.*

CAPUT VI.

DE ADVERBIIS.

§. 1.

Adverbia apponuntur, verbis, participiis, nominibus adjectivis vel adjectivè usurpati, item & aliis adverbiis ad explicandas eorum circumstantias, v. g. *bene canit. sat cito.*

§. 2. Adjectiva substantivè usurpata substantivorum etiam casum admittunt; v. g. *satis eloquentia id est, satietas eloquentiæ: Ille congruè naturæ vivit i. e. congruus naturæ: vixit optime omnium id est, optimus omnium.* confer cap. 3. §. 6,

§. 3.

§. 3. Ubi, cum, simul, simulac, simulatque, simulut, dum, donec, pro usquedum, quoad, antequam, ut pro velut, utcunque indicativo & conjunctivo adhærent; v.g. *Ubi voles, accerse.*

§. 4. Postquam, posteaquam, ut pro postquam, donec, pro quamdiu, dum de re praesenti & nondum perfecta indicativum regunt. v.g. *Postquam adspexi, illico cognovi.*

§. 5. Quasi, quasi vero, (quando ironia vel simulatio subest,) ceu, tanquam, perinde, ac, perinde ac si, conjunctivo gaudent. v.g. *Quasi me pudeat morum.*

§. 6. Ne prohibendi Imperativum & Conjunctivum regit. v.g. *ne doce, ne moneratis.*

§. 7. Ne jurandi, & Utinam optandi conjunctivo gaudent. v.g. *ne sim salvus, si aliter scribo, ac sentio; utinam fiat.*

Nota 1. Duæ negationes in uno & eodem commate semper affirmant. v.g. nihil non impetro, i.e. omne impetro.

Nota 2. Negatio negat, quicquid post se in eodem commate invenit.

§. 8. Ne, an, num, utrum, nunquid, interrogative indicativum, dubitative conjunctivum amant. D 5 No-

Nota: Cum antecedit NE enclitica, non subjicitur AUT sed AN; v.g. *Unum nescio, gratulerne tibi, an timeam.*

CAPUT VII.

DE PRÆPOSITIONE.

§. 1.

PRÆPOSITIONUM, aliæ regunt Accusati-
vum, aliæ Ablativum, aliæ utrumque
casum.

§. 2. Præpositiones, quæ regunt Accusa-
tivum, sunt: *Ad, adversus, vel adversum,*
apud, ante; *Cis, citra, circa, circum, circiter,*
contra; *Erga, extra;* *Intus, inter, infra;* *juxta;*
Ob; *Penes, per, pone, post, præter, prope, pro-*
pere; *Secundum, secus, supra;* *Trans;* *Versus;*
Ultra.

§. 3. Præpositiones, quæ regunt Ablati-
vum, sunt: *A, ab, abs, absque;* *Cum, coram;*
De; *E, ex;* *Præ, Pro, palam, procul, sine;*
tenuis.

§. 4. Præpositiones, quæ & Accusati-
vum & Ablativum regunt, sunt quatuor:
videlicet. *In, sub, super, & subter:* Quibus alii
particulam *Clam* accensent.

§. 5.

§. 5. Præpositio IN regit Accusativum, cum motum ad locum significat; v. g. abiit in Hispaniam: Deinde, cum actio differtur; v. g. In diem est, quod minaris: Tandem, cum accipitur, pro erga vel contra; v. g. pius in parentes; ingratus in præceptores. Sed Ablativum regit, quando significat quietem in loco, seu aliquid in loco fieri. v. g. in portu navigo; aut quando in pro inter ponitur; v. g. in amicis haberi.

§. 6. De Præpositionibus SUB, SUPER & SUBTER, quando Accusativum vel Ablativum regunt, ratio haud adeò firma dari potest, quin instantiis, & Classicorum Virorum testimoniis & exemplis infringi queat. Propterea imitandum est, quod frequentior usus probat.

§. 7. Præpositioni CLAM apud Priscos junctus est Accusativus; v. g. clam me est; clam uxorem; Ast apud recentiores, Ablativo elegantius gaudet; v. g. Clam patre; Apud Plautum etiam adverbialiter usurpatur; v. g. clam mihi est, id est, non constat. Scioppius.

CAPUT

CAPUT VIII.

DE CONJUNCTIONE.

§. I.

Conjunctio similes casus in declinabilibus, & similes modos in verbis plerumque conjungit; v. g. *Pulvis & umbra sumus*.

§. 2. Quanquam, quando, quandoquidem, quatenus, quia, quoniam, et si, tametsi, utpote, quippe, *indicativis frequentius*; quamvis, licet, *conjunctivis*; etiamsi utrisque adhæret. v. g. *Quanquam abest à culpa, suspicione tamen non caret*.

§. 3. Si, sin, siquidem, ni, nisi, quod, cum, vel quum, in sententia certâ & finitâ *indicativum*; in dubitativa *conjunctivum postulant*. v. g. *Si id facis, hodie me postremum vides*.

Nota 1. Sin, sequitur, ubi si præcedit.

Nota 2. Nisi corrigendi particula semper *Indicativum amat*.

§. 4. Ut causalis, item, Ne, Quo, Qui, Quin, Quod, *conjunctivum regunt*, v. g. *cura, ut valeas*.

Cæterùm, haud adeò in expedito est, quando particula UT, & quando QUOD causa-

causalis adhibenda sit; utrâque quippe promiscuè uti non licet (*uti disp. aucl. 6. p.m. 76. nimis fiderenter afferuit Mariangelus.*) Non deficiunt SCIOPPIUM, VOSSIUM, SIWERS & alios rationes. SCIOPPIUS particulam QUOD, non esse conjunctionem, sed relativum ait, & subintelligendum. v.g. id, propter id, ex eo, ex. gr. quod valeas, gaudeo. id est, propter id, quod valeas, gaudeo. Cujus ratio, utut alicujus momenti videatur, tanta tamen non est, ut omnem immediat contradictionem; hanc enim v.g. Oravit hera, ut ad se venias, pari modo licet explicare, v. g. Oravit hera id vel propter id, ut ad se venias, &c. A vero propiores sunt notæ characteristicae VOSSI, tum demum ait, adhiberi posse particulam QUOD, cum exponi potest per QUILA; v.g. gaudeo, quod veneris, id est, quia veneris: particulam autem UT nsurpari, cum exponi potest per eo fine, ideo, sic, &c. v.g. Oravit me, ut ad se venirem, id est, omvit me, eo fine, ideo, ut ad se venirem. Omnium autem firmior videtur sententia SIWERS, statuentis in Gram. min. particulam QUOD innuere actionem, seu præteritam, seu futuram, certam tamen, & definitam, id est, que certo est, vel sit, erat, vel

vel siebat; particulam autem UT importare actionem finalem & futuram, eamque fortuitam & conditionatam; v. g. Oro, ut hoc facias. Nostra demum ratio monet, ut advertatur, utrum praecedens propositio sequente sit natura prior, an posterior: Si sequente prior, sit construacio per particulam UT; Sin posterior, particula QUOD locum postulat: v. g. Curt. l. 3. c. 1. Legati petiverunt, UT capti apud Granicum flumen redderentur; ubi particulam UT positam vides, quia praecedens propositio, v. g. petiverunt, est natura prior; prius enim est, illos petiisse, quam captos esse redditos; At verò v. g. gaudeo, quod convalesci; ubi particula QUOD indicat antecedentem propositionem sequente posteriorem, esse: prius enim est, te convalescere, quam illum exinde gaudio affici: Par ratio in cæteris.

§. 5. UT, item NE NON, post verba Vereor, Timeo, Metuo, apud Latinos negat; NE verò affirms; v. g. Timet, ut moriatur; Metuo, ne non impetrem: Hen vereor,
ne quid Andria apportet
mali.

PARS

DE SYNTAXI EL-
LIPTICA.

Eucusque pars Syntaxeos Regularis. De ELLIPTICA etiam verbulō tractaturi, nonnullis forte videmur soli lucem conciliare velle, præprimis cum omnem laudis materiam sibi propriam, hac in re fecisse videntur ingentia illa eruditioonis lumina SCIOPPUS, & seculi decus VOSSIUS: Nihilominus, cum necedum ipsi omnia acu, ut dicitur, tegerint (maluerunt enim Veterum placitis Grammaticorum saepius indulgere, quam novitatis studio infames ad accuratam rationis normam cuncta exigere) arbitramur haud ingratos publico ausus fore, si nostras etiam rationes de ELLIPTICA CONSTRUCTIONE erudito orbi exposuerimus.

Est autem Ellipsis quadruplex; Ellipsis enim, vel est ad substantivum; vel ad adjективum; vel ad verbum; vel ad adverbium, quorum in numerum etiam referuntur interjectiones,

CAPUT

CAPUT I.

DE ELLIPSI AD SUB-
STANTIVUM.

§. 1.

Substantivum & Adjectivum juncim⁹,
sumpta, & rei alicujus affectionem, aut
qualitatem significantia, adjiciuntur alii
substantivo, vel in genitivo, vel in ablativo.
v. g. *puer optime spei*, & *optima spe*; *ingenui*
vultus puer: *Vir magni nasi*; *Homo antiqua*
virtute fidei.

Ratio Genitivi vel peti potest ex iis, que su-
pra cap. 3. §. 1. dicta sunt, ut mecum Vossius
putat; vel ex Scioppio lib. 1. part. 2. cap. 5.
qui in consequenti suppressum putat substan-
tivum describendum, quasi dices; v. g. *puer*
optimæ spei, *id est*, *puer est optimæ spei*
puer. *Vir est magni nasi*, *id est*, *Vir est ma-*
gni nasi vir: *Sed si quod res est, dicatur, abesse*
videtur haec dictiones, nempe, ex qualitate,
ut, v. g. Puer optimæ spei; ita explicas: Puer
ex qualitate optimæ spei. Vir ex qualitate
magni nasi.

Ratio Ablativi est, quia suppressæ videntur
haec præpositiones, v. g. *cum*, *a*, *ex* & *similes*,
que Ablativum requirunt; sic v. g. *Puer opti-*
ma

ma spe, rectè explicas; Puer ex optima spe.
 Vir summâ fortitudine, id est, Vir ex vel cum
 summâ fortitudine. Vossius Reg. I. de reg.
 Nom. suppressum autumat aliquid adjecti-
 vum v.g. affectus, præditus, &c. à quibus ab-
 lativus regi solet; Unde hanc v.g. puer bonâ
 indole, ita effert: puer affectus bonâ indole.
 Haud improbanda est hæc sententia, nisi quod
 Et illa explicatio ellipsin arguat; In hac enim
 v.g. Puer affectus bonâ indole, deest præposi-
 tio Cum, à qua ablativus regitur.

CAPUT II.

DE ELLIPSI AD AD-
JECTIVUM.

§. I.

ADjectivis COPIÆ & INOPIÆ additur
 Genitivus vel Ablativus, v. g. Plenus
 vini; Abundans aurô; Indicus omnium; Dives
 agri; Dives positis in fænore nummis.

Rationem Genitivi hanc affert Scioppius,
 putans regi genitivum à suppressa præpositio-
 ne Graciam vina vel ēn, quæ genitivum regit;
 v.g. Plenus vini, i. e. plenus ēn vini, latine,
 plenus de, e, vel ex vino. Vossius autem sub-
 intelligi putat has dictiones, v.g. causâ, gratiâ,

E

ergo:

ergò: Unde hoc v. g. plenus vini, ita explicat, v. g. plenus vini causa, sic; indigus auxiliū, i.e. indigus auxilii gratia. Nobis, salvò aliorum iudiciorum, probabilius apparet, regi Genitivum à suppresso substantivō v. g. copia vel inopia; Hinc explicantur bac, v. g. Plenus vini, id est, plenus vini copiā, vel plenus ex copia vini: Nullius indigus, id est, nullius rei inopia indigus. Et sic in ceteris.

Ratio Ablativi est ex suppressa præpositione, DE, E, vel EX; v. g. abundans aurō, id est, abundans ex aurō &c.

§. 2. Adjectivis PATHETICIS, seu AFFECTUM aliquem indicantibus, adjicitur genitivus casus. v. g. anxius securitatis, lassus maris, timidus procelli.

Rationem hujus Genitivi afferre videtur suppressa dictio ablativi casūs: v. g. causā, gratiā, ergō, (Nota: ERGO non esse adverbium, sed esse à Græco ἐγό, ut vult Scioppius.) Sic dicitur: anxius securitatis i.e. securitatis causā: timidus procelli i. e. procelli ergo. Hanc regulam nonnulli minus accurate confundunt, cum ea, quæ c. 3. §. 3. adducta est.

§. 3. Adjectiva MENSURÆ, SPATII, v. g. longus, latus, altus, crassus, amplus, profundus &c, adjunctum habent, jam accusativum
jam

jam ablativum; v. g. *ulna quatuor pedes longa*; *spacium non amplius tres ulnas*. *longum sesquipedē*, *latum pede*.

Rationem Accusativi affert suppressa particula AD, vel QUOD, regens accusativum: Nam explicatur hoc e. g. *ulna quatuor pedes longa*, id est, *ulna ad vel quoad quatuor pedes longa*.

Rationem Ablativi reddit Scioppius, existimans, præpositionem PRO subintelligendam esse, v. g. *latum pede*, i. e. *latum pro pede*.

§. 4. Adjectiva, tam NOMINALIA, quam PARTICIPIALIA PASSIVA, præter adjectivorum & passivorum morem, adjunctum sibi habent Accusativum; v. g. *albus dentes*. *Os humerosque Deo similis*. *Fractus membra*. *indutus vestes*. *rogatus sententiam*. *edocitus iter*. *etatem colendus*.

Ratio est, quia regitur Accusativus à suppressa præpositione, SECUNDUM, PER, CIRCA, AD, QUOD, &c. Sic dicimus: *albus dentes*, i. e. *quoad vel circa dentes*; *rogatus sententiam*, i. e. *quoad sententiam*.

§. 5. COMPARATIVIS adjungitur Ablativus, exponibilis per particulas AC, ATQUE, QUAM. v. g. *Paulus est doctior Petro*, i.e. *quam Petrus*; *aurum argento melius*. *majora sunt præmiis pericula*. RA.

Rationem hujus constructionis innuere videtur suppressa præpositio PRÆ, quæ Ablativo gaudet. Integrum enim est; Paulus est doctior præ Petro. Aurum melius præ argento.

§.6. Adjectivis DIGNUS, & INDIGNUS, receptior & frequentior usus addit Ablativum; v. g. Cedrò digna loquutus; Dignus honore. Indigna res est modestia tua.

Rationem putat Scioppius oriri ex suppressa præpositione PRO, cui natus est casus Ablativus: v. g. Dignus laude, i. e. dignus pro laude; Quomodo dicit dixisse Horatium; Dignum me præstabo pro laude. Notetur tamen hisce duobus adjectivis non solum adjungi Genitivum; ut Balb. ad Cicer. Suscipe curram dignissimam tuae virtutis; indignus majorum avorum, Virg. Sed etiam Dativum; teste Bangio in Syntax. ut, huic rei dignus es; Adde, quod & Terent. Andr. act. 5. sc. 4. dixerit v. g. Dignus es cum tua religione odium; Ubi odium esse Accusativum sentit Scioppius; licet Donatus in eundem locum, arbitratur, interponendam esse distinctionem, quasi dixisset Terent. Dignus es cum tua religione; odium! i. e. res odiosa!

§. 7. OPUS monoptoton præter Dativum personæ, appositum sibi habet Ablativum;

vum; v. g. Non dicitur huic opus est; Quid opus est verbis?

Ratio Dativi personæ ex superioribus c. 5.
§. 9. not. 2. colligi potest; ponitur quippe verbum
substantivum Sum loco verbi passivi Habeor,
cui Dativus casus est familiaris.

Ratio Ablativi Scioppio videtur suppressa
præpositio IN vel EX, que Ablativum sibi jun-
git: Sic v. g. Mihi opus est libris; ita exponi-
tur: Mihi opus est in vel ex libris. Obiter
notandum, huic adjectivo Opus adjungi ca-
sum Nominativum; v. g. Dux nobis & Auctor
opus est. Item Genitivum; ut, Casus ine st
illis, hic erit artis opus. Item infinitam ali-
quam propositionem; v. g. peropus est, nunc
cum ipsa loqui.

CAPUT III.

DE ELLIPSI AD
VERBUM.

§. I.

VERBIS INTEREST & REFERT, adjun-
gitur quodvis substantivum in Genitivo
casu; v. g. Patris interest; refert omnium; PRO-
NOMINA autem POSSESSIVA, MEA,
TUA, SUIA, NOSTRA, VESTRA in Nomi-

E 3 nati-

nativō casu, singularis numeri, fœminini generis; v.g. Tuā nibil refert; meā nō interest &c.

Chyträus, Rhenius, Jersinus & Grammatici pænè omnes affirmant, pronomina hæc possessiva esse ablativi casus, fœminini generis, singularis numeri; sed quia nullam sententia suæ rationem adduxerunt, nos non morantur; Subtilior cum sequacibus suis Scioppius existimat, pronomina hæc possessiva esse neutrius generis, accusativi casus, pluralis numeri, & subaudiri v. g. officia vel negotia: quasi dices v. g. mea refert, i.e. mea refert negotia: Tua interest, i.e. tua interest negotia; Sic & hanc exponit v.g. Patris refert, i.e. Patris refert negotia &c. Nobis à verbo proprius videtur, si dixeris v.g. refert, esse compositum à voce res, & verbo fero, quasi dices, res fert; interest à præpositione inter, & est, ubi subintelligendum, tò res: Sic rectè explicas: refert patris, i.e. res fert patris. Quid tua refert, i.e. quid tua res fert. Interest omnium, i.e. res omnium inter est. Mea interest, id est, mea res inter est: Huic sententia favet Prosodia; Nam si verbum refert, oriretur à verbo refero, RE in refert corripetur, quia præpositio brevis est; cum tamen ē contrario RE in refert producatur,

quia

quia implicitè contractio est, explicitè positione.

§. 2. Verbo SUM, quoties POSSESSIO vel OFFICIUM innuitur, additur quodvis substantivum in casu genitivo; v. g. *patris est: Boni pastoris est;* At pronomina possesiva MEUM, TUUM, SUUM, NOSTRUM, VERSRUM in neutro genere, nominativi casis, singularis numeri: v. g. *meum est, tuum est &c.*

Ratio est, quia subintelligitur, officium, munus, negotium; Sic rectè explicas: *Boni pastoris est, id est, boni pastoris est officium; tuum est, i. e. tuum est negotium &c.*

§. 3. Verbis MISERET, MISERESCIT, PIGET, POENITET, PUDET, TÆDET præter terminum adjicitur Genitivus. v. g. *miseret me tui. suæ quemque fortunæ pœnitet.*

Hujus constructionis rationem reddit Scioppius, *nimirum subinnui hæc, v. g. causa, gratiâ, ergo, quasi dictum, v. g. suæ fortunæ gratiâ vel causa quemque pœnitet; Quod nostro etiam probaretur suffragio, nisi quod hæc explicatio subjecto careat, quod tamen omni propositioni adesse debere cap. I. part. I. §. 2. diximus. Unde vero similior videtur hæc ratio, puta, subaudiendum aliquod sub-*

stantivum nominativi casus, v.g. miseria, turpitudo, aut id genus aliud: Sic v.g. miseret me tui, i.e. tui miseria; pudet me facinoris et facinoris atrocitas: tædet me vitæ, i.e. viæ miseria me tædet, vel tædio afficit.

S. 4. Verbis MEMINI, COMMEMINI, RICORDOR, REMINISCOR, & OBLIVISCOR apponitur casus Genitivus; v.g. Vivorum memini, nec mortuorum obliuisci possim; hujus meriti in me recordor.

Ratio Scioppii suadet subintelligendum esse v.g. memoria, oblio; ut, memini vivorum i.e. vivorum memoriam: Sed melius videatur, vitande rautologias ergo, subintelligi aliud aliquod substantivum accus. casus, v.g. statum, conditionem, vim: ut, memini vivorum i.e. vivorum statum, recordor amicitiae, i.e. amicitiae vim. Nota tamen; iisdem verbis addi sèpè Accusativum: v.g. recordari majorum diligentiam. oblitus est artes.

S. 5. Verbis PATHETICIS seu AFFECTIONATUM aliquem significantibus adstruitur Genitivus; v.g. hujus doleo; miserescite regis.

Scioppius subintelligit v.g. causa, gratia, ergo, quasi dices, v.g. miserescite regis i.e. regis causa, doleo hujus i.e. hujus causâ vel
gra-

gratia; quod omnino probatur. Lubet tamen
Eos nostrum rationem exponere, nempe subintel-
ligendum esse Accusativum casum v. g. sta-
tum, conditionem, casum, quasi dices, v. g.
misericordie regis, i. e. regis casum. doleo hu-
jus, i. e. hujus statum; Rationis ratio est, quia
apud Classicos Auctores, eadem verba gaudent
Accusativum; ut, lugeo hujus obitum &c. Huc
nonnulli, sed minus provide, referunt verbum
Satago, non observato verbi hujus etymam v. g.
Clinia suarum rerum satagit; ubi genitivus
casus non regitur à verbo, sed ab adverbio sa-
tis, quasi dices, v. g. Clinia satis suarum
rerum agit.

§. 6. Verbis ACCUSANDI, DAMNAN-
DI & ABSOLVENDI præter necessarium
terminum additur Genitivus, vel Ablativus
criminis aut pœnæ, v. g. accuso te negligentia.
absolvo illum supplicio; libero illum pœnā.

Ratio Genitivi est, quiaregitur à suppresso
substantivo Ablativi casus, v. g. causâ, crimi-
ne; ut, accuso te negligentia, i. e. negligen-
tia causâ; notatur furti, i. e. furti causâ. Ra-
tio Ablativi est, quiaregitur à præpositione
sive in verbo, inclusa, sive subintellecta, v. g. ab-
solvo te suppicio, i. e. solvo te à suppicio; li-
bero te metu, i. e. ex metu vel de metu.

D 8

§. 7.

§. 7. Verbis COPIÆ & INOPPIÆ adjungitur Genitivus vel Ablativus ; v. g. *carere culpâ, egere auxiliu, indigere ope.*

Rationem hujus constructionis vide cap. 2 de ellipsi. §. 1.

§. 8. Verbis ÆSTIMANDI & PRETII præter Accusativum ; item verbo SUM pro ÆSTIMOR, adjicitur Genitivus vel Ablativus ; v. g. *permagni æstimat hunc librum.* Data magnô æstimas, accepta parvô ; Sic allis, flocci, nauci, pili, nihil aliquid æstimare.

Ratio Genitivi est , quia subintelligitur pretium ; quasi dices, flocci æstimo, id est, flocci pretio æstimo ; Nihili pendo, i. e. nihil pretio vel ne bili pretio pendo. Ita etiam adjectiva genitivi casus exponenda sunt ; v. g. maximi æstimat hunc librum , i. e. maximi pretio, vel maximi æris pretio æstimat librum. Ratio Ablativi est , quia subintelligi volunt præpositionem PRO ; v. g. Data magnô æstimas , id est , pro magno scil. pretio æstimas &c.

§. 9. Verbis DOCENDI, MONENDI, ROGANDI , præter terminum necessarium, adjicitur alias accusativus. v. g. *Doceo te literas ; rogare aliquem sententiam.* Ratio est qui a subauditur præpositio secundum AD, QUA,

QUA, QUOAD; ut, *Docco te literas*, id est,
qua vel quoad literas.

§. 10. Verbis PASSIVIS, præter Passivo-
rum morem, adjungitur sèpè Accusativus;
v. g. *Edoctus est artes*. *Induebatur thoracem*.
Clypeum tegitur.

Eadem ratio est, atque §. præcedentis,
quia scilicet subintelligitur secundum QUA,
QUOAD. v. g. *Edoctus est artes*, i. e. quoad
artes. *Induebatur vestes*, id est, quoad
vestes.

§. 11. Verbo LATET, præter naturam
verbi intransitivi, frequentior usus jungit
Accusativum, (*quasi esset à Græco λαττάω fu-*
gio); v. g. *latet me*, i. e. *fugit me*.

Sed dicendum potius est, Accusativum,
hunc regi à suppressa præpositione Quoad.
v. g. *hoc latet illum*, i. e. *hoc latet quoad il-*
lum; *Et si dicetur, quod res est, omnino meruit*
probari Scioppius, *dicens, hanc* v. g. *latet*
mihi, latet tibi, regulis Syntacticis melius con-
venire, *& Auctorum Classicorum testimonio*
roborari; ut, *Cicero postredit. in sen. Orat.*
in Catil. l. Lucret. l. 3. vers. 280. Plaut. Trin.
act. 4. sc. 2. Cetera loca allegata sunt à Sciop-
pio in præfat. quem vide.

§. 12.

§. 12. OPPIDORUM nomina, item DOMUS, RUS, ponuntur

- cum quæstio est*
- I. QUO? In Accusativo; ut, *ire Hafniam. Lubecam, domum, rus*; ubi deest AD vel IN.
 - II. UNDE vel QUA? in Ablativo; ut, *redire Lubeca, domo, rure*; ubi deest A, vel AB, DE, vel EX.
 - III. UBI? in Ablativo, *si sunt Tertia Declinationis, aut pluralis numeri*; ut, *vixit Lacedamone, Athenis, rure*; Ubi deest IN. In Genitivo vero singulari, *si sunt Prima aut Secunda Declinationis*; ut, *vixit Lubecæ, i. e. in civitate Lubecæ, vel, inter civitatem Lubecæ.*

§. 13. Nomina TEMPORIS ponuntur

- cum quæstio est*
- I. QUANDO? in Ablativo; v. g. *venit hora primâ, eō tempore, anno, die, mense*: ubi subintelligitur præpositio DE vel IN.
 - II. QUAMDIU? in Accusativo (frequentius) & Ablativo; v. g. *vixit annos decem & annis decem*; ubi supprimitur in Accusativo PER, in Ablativo IN.

§. 14. Quædam Verba adsciscunt casum Prepositionis, cum qua componuntur, jam Accusativum, jam Ablativum; ut, *Villam prætereo, id est, eo præter villam. Expelli urbe, i. e. pelli ex urbe.*

§. 15.

§.51. Verbis UTOR, FRUOR, FUNGOR,
VESCOR, POTIOR, NITOR, jungitur
Ablativus; v. g. *Utor libro.* *fruor vestibus.*
nitor baculo. *potior urbe.* *vescor carne.*

Scioppius ratiocinatur, regi istum Ablati-
vum à suppressa præpositione EX vel IN. v. g.
Utor libro, id est, *utor usum ex libro.* *fruor villa*, i. e. *fruor fructum ex villa.* *nitor ba-
culò*, i. e. in *baculo.* *potior urbe*, i. e. *potior*
potentiam ex urbe &c. Sed hic iudicium
suspendimus, & nisi meliora edocti, ingenuè
profitemur anomaliam esse, nec rationem hu-
jus constructionis reddi posse. Tantum note-
tur, eadem verba antique regere Accusati-
vum; v. g. Terent. in prol. and. operam abu-
titur; *fruebatur bona.* omnes perfuselus est
molestias. Quo autem lecli, religiosus sena-
toria munera fungerentur. Sueton. in Au-
gust. cap. 35. Datames militare munus fun-
gens. Corn. Nep. in vit. Datam. cap. 1. (Con-
sulatur in hunc locum Lambinus, qui ex Clas-
sificis Auctoribus alia loca congeffit;) Potiri au-
tem urbe, urbem, & urbis Classicorum testi-
monia probant.

Tandem tam ADJECTIVIS, quam-
VERBIS, adjicitur substantivum Ablativi
casus, quoties materiam ex qua, instrumen-
tum,

tum, causam finalem, modum vel aliam circumstantiam significat, & subintelligitur præpositio, A, EX, CUM, DE, PRO, IN: v. g. *laboro pedibus*, i. e. *expedibus*; *gaudere aliquare*, i. e. *ex aliquare*. *gloriari aliquò* i. e. *de aliquò*. *percussus gladio*, i. e. *cum gladio*: *deteriores omnes sumus licentia*, i. e. *ex licentia*. *flere alicujus obitu*, i. e. *de obitu*; *accusō te criminē* i. e. *de criminē*. *Data magnō afflitas*, i. e. *pro magno redeunt pastu*, i. e. *de pastu*. *superfedeo labore*, i. e. *à labore*.

CAPUT IV.

DE ELLIPSI AD ADVERBIUM & INTERJECTIONES.

§. I.

Adverbii nonnullis, & Interjectionibus promiscuè addi solet Nominativus, Dativus, Accusativus, & Vocativus, prout suppressum nomen vel verbum requirit: v. g. *En agnus DEI sc. est*. *Ecce tibi nuncius sc. advenit*: *En aras quatuor sc. vide*. *O Syre. O Dabe*, ita ne contemnor abs te. *Pro DEUM atq. hominum fidem sc. imploro*.

COROL-

COROLLARE.

Elegantia est, & usu probata, & admodum venusta, cum Adverbia hæc, CUM, DUM, SI, POSTQUAM, UBI &c. abijcantur, & verbum in participiū versum, suo subjecto in Genere, Numero & Casu respondeat.

Cujusnam autem debeant esse casūs, quæstio est, non adeo levis momenti: Nota est omnium pænè Grammaticorum Regula: *Abiectis particulis, debere participium & illius subiectum ponit in Ablativo: Quam omni ex parte veram esse, vix inducor ut credam: Hanc enim v. g. Postquam epistolam sigillo annuli sui impressa esset, illam pulvino subjecit. Si juxta eorum regulam ita transponerem: Epistolam sigillò annuli sui impressā, pulvino subjecit: à vitio vix liberarer, cum Curtianum est lib. 3. cap. 6. vers. 7. Epistolam sigillo annuli sui impressam pulvino subjecit.*

Verūm, si rem paulo propius inspiciamus, deprehendimus, duarum propositionum contractionem fieri, & ex posteriori propositione cognosci, quo in casu collocanda est propositio prior: Hinc lubet hanc formare regulam.

Abiectis particulis CUM, DUM, SI, POSTQUAM, UBI &c. & in parti- cipi-

80 DE SYNTAXI ELLIPTICA. Pars II.
cipium ejusdem temporis verbō translatō :
Si in sequenti propositione dictio (*relati-
vum aliquid*) est, cum qua subjectum (RE-
LATUM) prioris propositionis RE conve-
nerit, debet & casu convenire ; Sin autem
nihil convenerit, ponitur prior propositio
in ABLATIVO. v. g. *Dum Petrus amat*
Deum, cuncta illi bene succedunt : Ubi relativo tō illi
reipendet relatum, *Petrus*. Hinc, ut contractior
fiat locutio, excluditur relativum, exclusoque in
eodem casu succedit relatum cum suo participio,
v. g. *Petro amanti Deum cuncta bene succedunt*. Simi-
liter: *Cum Petrus abiturus esset, illum offendī*; ita con-
tracte effers. *Petrum abiturum offendī*; *Cum Petrus*
jamjam moreretur, data sunt mihi illius vestes: id est,
Petri jamjam morituri vestes mihi datæ sunt.

Quod si prior propositio activa sit præteriti
temporis, (*quæ non potest verti in participium ejusdem
temporis, quippe quo careant participia activa.*) Con-
vertenda est in passivam, prout part. i. cap. 5. do-
cuimus. v. g. *Cum legisset literas, mihi illas tradidit*.
Converte: *Cum literæ lectæ essent, mihi illas tradidit*;
Quam elegantius effers: Literas lectas mihi tradidit.

Cum autem in utraque propositione nihil con-
venerit, diximus priorem propositionem poni in
ABLATIVO. v. g. *Cum literæ lectæ essent, Petrus abiit*. i.e.
Literis lectis, abiit. Ubi Actor non probat, Reus ab-
solvitur, id est, *Actore non probante,*
reus absolvitur.

¶(o)¶

C
4

Cap. III. ELLIPTIC


*QUA, QUOAD; ut, Doceat
qua vel quoad literas.*

*§. 10. Verbis PASSIVIS,
rum morem, adjungitur sacer
v. g. *Edocitus est artes.* Indue
*Clypeum tegitur.**

Eadem ratio est, atque
quia scilicet subintelligitur sacer
QUOAD. v. g. *Edocitus est a
artes.* Induebatur *vesiles,*
vesiles.

*§. 11. Verbo LATET,
verbi intransitivi, frequen
Accusativum, (quasi esset à
gio;) v. g. *latet me*, i. e. fugi*

Sed dicendum potius es
hunc regi à suppressa præp
v. g. *hoc latet illum*, i. e. b
lum; Et si dicetur, quod res e
probari *Scioppio*, dicens
mihi, *latet tibi*, regulis Synt
venire, & *Auctorum Classi*
roborari; ut, *Cicero post re
in Catil. l. Lucret. l. 3. vers.
acl. 4. sc. 2. Cetera loca alle
pio in prefat. quem vide.*



the scale towards document

017

Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No.

§. 12.